



Α Σ Ι Α. Pag. 31.

ϊδος δὲ ποταμοῦ ἄρχεται ἡ Ἀσία. ΣΑΥ- 70.
Καὶ πρῶτον ἔθνος αὐτῆς ἐστὶν ἐν τῷ
άται. Σαυρομάτων δέ ἐστιν ἔθνος γυ-
ν.


Ι. Τῶν γυναικοκρατουμένων ἔχονται 71.

Μετὰ δὲ Μαιώτας Σινδοὶ ἔθνος. Διή- 72.
καὶ εἰς τὸ ἔξω τῆς λίμνης. Καί εἰσιν
Ἑλληνίδες αἵδε· Φαναγόρου πόλις,
λιμὴν, Πάτους.

Μετὰ δὲ Σινδικὸν λιμένα Κερκέ- 73.
ις Ἑλληνὶς Τορικὸς καὶ λιμήν.
Μετὰ δὲ Κερκέτας Ἀχαιοὶ ἔθνος. 74.

l em Voss. Codd. Σαυρομάται.
il quia Σινδικὸς λιμήν. Cod
coni. Ἀπάτουρος
ους defenditur a
59).

vium incipit Asia, e
uromatarum.
71. Gynae
st Maeotas
idem, urbesque
Cepi, Sindicus
tum Cercetae,
Post Cercetas





HECATAEI MILESII

FRAGMENTA.

HECATAEI MILESII
FRAGMENTA.

SCYLACIS CARYANDENSIS
PERIPLUS.

EDIDIT

RUD. HENR. KLAUSEN DR.

IN ACADEMIA FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA LITERAS GRAECAS ET LATINAS DOCENS.

ADDITA EST TABULA GEOGRAPHICA.

BEROLINI

IMPENSIS G. REIMERI.

MDCCCXXXI.


BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

AUGUSTO BOECKHIO

S.

Qui me rationem, qua agebant veteres, intelligere docuisti, Tibi locorum, ubi agebant, exhibeo tabulam. Scilicet ut locorum situm ex eo fano, quod medium in orbe terrarum iacere illi opinabantur, determinavi: ita sanctam in perscrutanda antiquitate, regulam veneror Tui memoriam. Sanctiorem enim a nemine, quam a Te, servatam vidi artis nostrae fidem, «quam nefas est attingere fallacias.» Hac utinam virtute tua diu literas patriamque ornes, nobis praecellas, me amare ne desinas.

Collegi fragmenta geographici operis Hecataei, quorum editionem diu a Creuzero promissam frustra exspectavimus. Quibus addidi fragmenta operis historici, quorum pleraque exhibuit ille in libro notissimo: Hi-

storicorum Graecorum antiquissimorum fragmenta, Heidelb. 1806, 8; eo ordine, quem ego commodum iudicavi, disposita. Postquam ipse in rationem libri et geographiae Hecataei inquisiveram, accepi libellum de eadem re ab Ukertio scriptum (Weimar. 1814): ad quem in dissertatione de Hecataeo constanter respexi. Cum vero in definiendis locis iis, quos recensuit Hecataeus, Scylace ubique utendum fuerit, hunc etiam edi oportere visum est. Itaque eius textum et versionem recognovi, virorum doctorum de eius aetate opiniones aestimavi, eas notas tum priorum editorum tum meas addidi, quibus maxime opus erat, ut textus, quantum fieri hoc poterat, emendaretur et a lecturis intelligeretur.

Hecataeus Hegesandri filius Milesius, geographiae inter Graecos auctor, historicorum princeps, et amplae et accuratae rerum, quas sibi exhibendas proposuit, scientiae laude a suis posterisque hominibus celebrabatur, et ne eorum quidem studio et admiratione destitutus est, qui meliorem postea earum, quas ille descripserat, regionum cognitionem sibi paraverant. Contigit enim illi, cum sua aetate strenua inter populares expergefacta esset curiositas cognoscendi cum res adhuc incognitas tum rerum causas, et ea utrasque intelligendi certitudine et perspicuitate, ut rationis cognitio usum, usus utilitatem affirmaret; contigit Hecataeo, ut sua comprehenderet scientia tum quaecunque tunc temporis in orbe terrarum investigatione digna Graecis videbantur, tum quaecunque a praeteritis saeculis cara eorundem relicta erant memoriae: quae omnia bene percepta, considerato rationis iudicio aestimata, duobus operibus, historico altero, altero geographico condita ita disposuit, ut illud per pietatem erga maiores et honoris, qui generosorum est,

caritatem, hoc per communitatem auctoritatemque commercii, cuius vias et rationes exhibuerat, usui pariter ac studio popularium commendaret. Et si multa singula accuratius intellexerunt, artificiosius adornaverunt, elegantius exhibuerunt posteri, primus tamen Hecataeus universi orbis terrarum totiusque rerum gestarum historiae, qualis quidem in Graeci hominis mente utraque illa conformabatur, imaginem adumbravit certaque descriptione expressit.

Hecataei vita et itinera.

Vitam et aetatem Hecataei definituro certum non est indicium, nisi in locis Herodoti [1]), ex quibus

1) Herod. V, 36. *Ἀρισταγόρης - - ἐβουλεύετο ὦν μετὰ τῶν στασιωτέων, ἐκφήνας τήν τε ἑαυτοῦ γνώμην καὶ τὰ παρὰ τοῦ Ἱστιαίου ἀπιγμένα. οἱ μὲν δὴ ἄλλοι πάντες γνώμην κατὰ τωὐτὰ ἐξεφέροντο, κελεύοντες ἀπίστασθαι· Ἑκαταῖος δὲ ὁ λογοποιὸς πρῶτα μὲν οὐκ ἔα πόλεμον βασιλέϊ τῶν Περσέων ἀναιρέεσθαι, καταλέγων τά τε ἔθνεα πάντα τῶν ἦρχε Δαρεῖος, καὶ τὴν δύναμιν αὐτοῦ. ἐπεί τε δὲ οὐκ ἔπειθε, δεύτερα συνεβούλευε ποιέειν ὅκως ναυκρατέες τῆς θαλάσσης ἔσονται. ἄλλως μέν νυν οὐδαμῶς ἔφη λέγων ἐνορᾶν ἐσόμενον τοῦτο· ἐπίστασθαι γὰρ τὴν δύναμιν τὴν Μιλησίων ἐοῦσαν ἀσθενέα· εἰ δὲ τὰ χρήματα καταιρεθείη τὰ ἐκ τοῦ ἱροῦ τοῦ ἐν Βραγχίδῃσι, τὰ Κροῖσος ὁ Λυδὸς ἀνέθηκε, πολλὰς εἶχε ἐλπίδας ἐπικρατήσειν τῆς θαλάσσης. καὶ οὕτω αὐτούς τε ἕξειν χρήματα χρᾶσθαι, καὶ τοὺς πολεμίους οὐ συλήσειν αὐτά. τὰ δὲ χρήματα ἦν ταῦτα μεγάλα, ὡς δεδήλωταί μοι ἐν τῷ πρώτῳ τῶν λόγων. Αὕτη μὲν δὴ οὐκ ἐνίκα ἡ γνώμη· ἐδόκεε δὲ ὅμως ἀπίστασθαι.* Ibid. V,

eum tempore belli Ionici contra Persas ab Aristagora excitati sententiam tulisse apparet in consilio Milesiorum, eamque talem, quae acuti erat iudicii et sola, si eam civibus persuasisset, meliorem motae seditioni affirmavisset eventum. Neque tamen propter iuventutem hominis eius consilio refragatos esse Iones, ullo modo indicat Herodotus, imo ut ipsam sententiam optimam et eruditam fuisse apparet, ita idem etiam, qui reliquis coeptae rei participibus, in civitate locus videtur fuisse Hecataeo: quod vero neque primam probabant, cum se ut potentiae vastique imperii Persarum ratione habita a coniuratione desisterent cohortatus sit, neque secundam, cum se, si bellandum esset, omnem rebus classicis operam dare divitiasque in templo Apollinis Branchidarum conservatas navibus instruendis impendere iusserit, neque denique tertiam, cum Aristagorae ante pugnam Ladensem de rebus suis desperanti suaserit, ut neque in Sardiniam neque in Thraciam aufugeret sed in Lero insula Cariae castello munito maneret exitumque proelii exspectaret: in his con-

---

124. sqq.: *Ἀρισταγόρης ψυχὴν οὐκ ἄκρος - - - συγκαλέσας τοὺς συστασιώτας ἐβουλεύετο. Ἑκαταίου μέν νυν τοῦ Ἡγησάνδρου, ἀνδρὸς λογοποιοῦ, τουτέων μὲν ἐς οὐδετέρην στέλλειν ἔφερε ἡ γνώμη, ἐν Λέρῳ δὲ τῇ νήσῳ τεῖχος οἰκοδομησάμενον ἡσυχίην ἄγειν, ἢν ἐκπέσῃ ἐκ τῆς Μιλήτου· ἔπειτα δὲ ἐκ ταύτης ὁρμεώμενον κατελεύσεσθαι ἐς τὴν Μίλητον. ταῦτα μὲν δὴ Ἑκαταῖος συνεβούλευε. Αὐτῷ δὲ Ἀρισταγόρῃ ἡ πλείστη γνώμη ἦν ἐς τὴν Μύρκινον ἀπάγειν.*

tra eum faciebant modo acre rerum novarum studium, modo religio, modo timida mens Aristagorae. Certi tamen nihil de aetate Hecataei ex his effici potest, nisi eum non amplius adolescentem fuisse ineunte Olympiade septuagesima. Inde interpretandum est id quod relatum est a Suida [2]), exstitisse scriptorem nostrum Olympiade sexagesima quinta regnante Dario Hystaspis. Quod si de florente scriptoris aetate, de tricesimo eius anno, dictum putamus, conciliatur haec narratio cum alia quadam eiusdem lexicographi [3]), Hellanicum aliquando venisse in societatem Hecataei, qui Persici belli tempore vixerit et aliquanto post eius finem. Quae nihil significare possunt, nisi obisse Hecataeum post bella Persica, itaque non ante exeuntem Olympiadem quintam et septuagesimam. Natus dicitur Hellanicus circa finem Olympiadis septuagesimae [4]), quem hominem Mitylenaeum, antequam vicesimum ageret annum, adisse illustrem illum logographum Milesium vel fortuito obviam

---

2) Suid. s. v. *Ἑκαταῖος Ἡγησάνδρου Μιλήσιος γέγονε κατὰ τοὺς Δαρείου χρόνους, τοῦ μετὰ Καμβύσην βασιλεύσαντος· ὅτε καὶ Διονύσιος ἦν ὁ Μιλήσιος, ἐπὶ τῆς πέμπτης καὶ ἑξηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἱστοριογράφος. Ἡρόδοτος δὲ Ἁλικαρνασεὺς ὠφέληται τούτου νεώτερος ὤν. καὶ ἦν ἀκουστὴς Πρωταγόρου ὁ Ἑκαταῖος. πρῶτος δὲ ἱστορίαν πεζῶς ἐξήνεγκε· συγγραφὴν δὲ Φερεκύδης. τὰ γὰρ Ἀκουσιλάου νοθεύεται.*

3) Suid. *Ἑλλάνικος --- καὶ Ἑκαταίῳ τῷ Μιλησίῳ ἐπέβαλε γεγονότι κατὰ τὰ Περσικὰ καὶ μικρῷ πρός.*

4) Gell. XV, 23. ex loco Pamphiles.

ei venisse, non est cur negemus. Atqui etiamsi hoc incertum sit, cum Suidas ex more suo viros illustres diversae aetatis in eandem convocare soleat, obitum tamen Hecataei non ante pugnam Plataeensem esse statuendum, probabile redditur consensu illo duorum Suidae locorum, qui tam saepe sibi repugnat, ut alterum, quod tradit, ita correxisse, ut concineret cum altero, non sit iudicandus. Et hoc certe constat, in eo utrumque locum congruere, quod pertinuisse cogitatur constans Hecataei aetas per universum Persicorum bellorum, quae praecipue hoc nomine comprehendi solebant, tempus, inde ab Olympiade septuagesima, cuius anno primo Aristagoras Spartam ad auxilium petendum profectus est, usque ad exeuntem septuagesimam quintam, quo tempore ex Europae litoribus omnino eiecta sunt Persarum praesidia. Quibus comparatis si initam putamus constantem aetatem ab Hecataeo Olympiade sexagesima quinta, probabili computatione conficitur, media hac Olympiade eum egisse annum tricesimum, natum esse ineunte Olympiade quinquagesima octava; in quinquagesimo eius anno ortum esse tumultum Ionum, obisse eum post septuagesimum exactum Olympiade septuagesima quinta. Quae omnia pro certis haberi nequeunt, sed probabili determinatione vitam eius definiunt.

Nobilitate insigne fuisse genus Hecataei, ab Herodoto edocemur, qui eum Thebis coram sacerdotibus Aegyptiis gloriatum esse refert de illustri origine avorum suorum quindecim, quorum primus fuerit deus

(cf. fr. 276). Probabile est hunc auctorem generis habitum esse Apollinem, a quo ipsum repetendum videtur nomen Hecataei: neque alienum ab hoc numine est nomen Hegesandri, patris logographi. Apollinem enim novimus fuisse principem Milesiorum deum et in multas ab iis deductum esse colonias, quorum postea auctor et conditor celebrabatur [5]: notumque et consentaneum est, nomina nobilium hominum Graecorum saepissime ab eo numine esse derivata, a quo generis origo repetebatur. Ipsumque Hecataeum nobilitatis honore usum esse in civitate Milesiorum, probatur eo quod particeps erat consilii ab Aristagora, ut urbem contra Persarum dominationem excitaret, convocati. Neque nobilitate magis quam opibus videtur fuisse insignis, quippe quem multis et longinquis itineribus orbem terrarum pervagatum esse, e scriptis quae reliquit appareat. Aegyptum enim ab eo aditam esse novimus e loco Herodoti, cernimus e variis, quae ab eo repetuntur, accuratis rerum Aegyptiacarum descriptionibus. Neque cum adeo geographi multo recentiores, velut secundi post Christum natum saeculi scriptor Agathemerus accuratam rerum, quas descripserit, cognitionem admirati sint [6], existimari

5) Praeter multa alia cf. fr. 202. de pagis Cyzico subiectis, quam Milesiorum coloniam fuisse constat.

6) Agathemer. I, 1. Ἀναξίμανδρος ὁ Μιλήσιος, ἀκουστὴς Θάλεω, πρῶτος ἐτόλμησε τὴν οἰκουμένην ἐν πίνακι γράψαι. Μεθ' ὃν Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος, ἀνὴρ πολυπλανὴς, διηκρίβωσεν ὥστε θαυμασθῆναι τὸ πρᾶγμα. Ἑλλά-

potest, eum reliquas, de quibus nova protulit, terras non ipsum inspexisse et dubiis nautarum et peregrinatotorum narrationibus esse confisum. Dubium non est, quin ad Iberiae, Liguriae, Italiae, Illyriae, Thraciae, Ponti, Libyaeque oras ipse venerit, vicina litoribus visu, remotiora percontando ab incolis compererit. Quod vero maxime in gratiam ei vertebant populares, id erat, quod Persarum imperium, cui ipse subiectus erat, Asiamque usque ad Indorum fines descripserat, quam terrarum regionem primo ab Hecataeo Graecis reclusam esse praedicat Agatharchides 7), id quod concinit cum narratione Herodoti, logographum Milesiis omnes recensuisse nationes, quae Persis obtemperarent, ut a conatu incepto eos deterreret. Id quidem ex his Herodoti verbis efficiendum videtur, orientales regiones iam ante annum quinquagesimum, ante bellum Ionicum ab Hecataeo esse perlustratas, id quod per se probabile est; quando vero Iberiam et Libyam adierit, id certa ratione definire non possumus. Hoc tantum e fragmentis Descriptionis orbis terrarum cognoscimus, oram Thraciae Ponto adiacentem eo tempore, quo Hecataeus librum confecit, Persis fuisse subiectam, quippe ubi Boryzam, urbem

---

νικος γὰρ Λέσβιος ἀνὴρ πολυΐστωρ ἀπλάστως παρέδωκε τὴν ἱστορίαν. εἶτα Δαμάστης ὁ Κιττιεὺς τὰ πλεῖστα ἐκ τοῦ Ἑκαταίου μεταγράψας περίπλουν ἔγραψεν.

7) Agatharchid. de rubro mari p. 48: Τὰ μὲν πρὸς ἑσπέραν ἐξείργασται Λύκος τε καὶ Τίμαιος, τὰ δὲ πρὸς ἀνατολὰς Ἑκαταῖος καὶ Βάσιλις cett.

Byzantio vicinam, ut Persicam recenseat (fr. 140), et in Sicilia Zanclen nondum nomine Messanae, Catanam nondum nomine Aetnae fuisse appellatam (fr. 43, 44). E quibus non multum lucramur, cum de Thracia id tantum sciamus, subactam esse eam inter Olympiadem sexagesimam quartam, qua ineunte regnum adeptus est Darius, quartumque annum sexagesimae nonae, qua bellum Naxium gesserunt Persae, amissam post pugnam Plataeensem et Mycalensem Olympiade septuagesima quinta[8]; de Sicilia vero id solum, Catanae nomen mutatum esse Olympiade septuagesima sexta, Zanclen vero aliquot annis ante cum colonis novum illud vocabulum accepisse ab Anaxilao, Rhegiorum tyranno, qui ineunte hac Olympiade obierit. At si circa septuagesimam Olympiadem quinquagesimum annum egit Hecataeus, neque probabile est, senili aetate potius, quam iuvenem eum longinqua illa perfecisse itinera, tum hoc etiam redditur verisimile, nonnulla certe itinera in eos annos esse releganda, qua pacata et libera in mari Aegaeo exercebatur navigatio, post expeditionem Darii in Scythiam et subacta Thracia, antequam bellum Naxium exarserit, itaque inter Olympiadem sexagesimam sextam et exitum sexagesimae nonae. Nam paulo post bellum Naxium excitabatur Ionia: per illud vero duodecim annorum spatium pax erat terra marique per universum Persici imperii ambitum, quod novis Darii

8) Clinton. Fast. Hellen. p. 313. (ed. Angl.)

legibus nuper descriptum erat et confirmatum, ut his annis omnia maiora Hecataei itinera probabiliter tribuere possimus. Nam ante Darii regnum neque securitas in Asia et Aegypto obtinebat, neque adulta erat scriptoris aetas talibusque itineribus commoda, post Naxium vero bellum et Ionicum, quod per sex annos gestum est, nunc Mardonii, nunc Marathonia expeditione, nunc Atheniensium bello contra Parios, nunc novo bello contra Graecos parato, nunc Aegyptiorum seditione continuis turbis concutiebatur Asia, quas deinde Xerxis imperium cum bello Aegyptiaco cladibusque ad Salamina, Plataeas, Mycalen acceptis senilique aetate et morte Hecataei excepit. Quae hic disputavi, breviter in hac tabula conspicies descripta.

Ol.	anni Hecat.		
57, 4.		Natus Hecataeus.	
58, 3.	3.		Cyrus Sardes et Ioniam subigit.
62, 4.	20.		Cyrum sequitur Cambyses.
63, 4.	24.		Cambyses Aegyptum subigit.
64, 4.	28.		Darius regnum adipiscitur.
65, 1.	29.	Hecataei et Dionysii adulta aetas.	Darius Samum aggreditur.
65, 2.	30.		
65, 3.	31.		Darius Babylonem per viginti menses oppugnat.
65, 4.	32.		
66, 1.	33.		Darius adversus Scythas proficiscitur.
66, 2.	34.		Thracia et Macedonia Persis subacta. *Mors Hipparchi.*
66, 3.	35.		

Ol.	ann. Hecat.		
66, 4.	36	Hecataei itinera per Graeciam, Asiam, Pontum, Aegyptum, oras Libyae, Liguriae et Oenotriam.	
67, 3.	39		*Hippias eiectus.*
69, 4.	48.		Bellum Naxium.
70, 1.	49.	Hecataeus in Aristagorae et Milesiorum consilium vocatur.	Initium belli Ionici.
71, 2.	54.	Hecataeus in consilio Aristagorae.	Miletus subacta.
72, 1.	57.		Mardonii expeditio.
72, 3.	59.		Marathonia expeditio.
72, 4.	60.		*Miltiades Parum oppugnat.*
73, 2.	62.		Bellum contra Graecos paratur.
73, 3.	63.		Seditio Aegypti.
73, 4.	64.		Darium sequitur Xerxes.
74, 1.	65.		Aegyptus subacta.
74, 4.	68.		Xerxes Sardes proficiscitur.
75, 1.	69.		Bellum cum Graecis.
75, 2.	70.		Clades ad Plataeas et Mycalen.
75, 3.	71.		Sestus a Graecis recepta.
75, 4.	72.	? Obitus Hecataei.	

Si de tempore, quo itinera susceperit Hecataeus, in universum probabilia statui possunt, singula vero quibusnam singulis annis fecerit, minime constat: id tamen e fragmentis certius probari potest, quasnam earum, quas exhibuit, regionum ipse viderit, quasnam fama solum cognoverit. Quae de Iberia et Liguria tradidit, satis accurata sunt, ut has terras ipse adisse pu-

tandus sit, sed mixta tamen fabulosis, ubi interiores et Oceano propiores Hispaniae partes describuntur, velut quae de Cimmeriorum urbe tradidit (fr. 2), vel quae de triplici statuisse videtur Rhodani ostio (fr. 22). Itaque, id quod per se probabile est, adiit hanc vel illam in his litoribus urbem, prout occasione oblata uti poterat, ibique reliqua sciscitando cognovit. Italiam, certe Oenotriam, optime ei compertam fuisse, docent undecim illa oppidorum Oenotriae nomina, quorum situm accurate descriptum esse apparet e discretione urbium, quae in media terra quaeve mediae inter amnes iacerent (fr. 30—39). Praeterea de urbibus Graecis in Italia, quam Graeci dicebant, et Sicilia fabulas memoravit, quas ab ipsis incolis eum accepisse probabile est (fr. 43, 47, 48). Quae de Adriatico mari refert, probant, litora eum adisse, boreales vero partes et Istriam terram non satis cognita habebat (fr. 59, 60): neque a Liburnis accepit, quae de heroe Liburno eum narravisse existimo, sed a mercatoribus Graecis (fr. 61). Melius et certius cognitam habebat regionem inde a Pindi promontorio Lacmo amnibusque Aeante et Inacho (fr. 70—72): omnesque Graeciae partes eum esse pervagatum, cernimus e fragmentis utriusque, quod composuit, operis. Thraciae etiam tam multas urbes et nationes commemorat, Paeonum mores tam accurate descripsit (fr. 123), ut satis diu ibi mansisse videatur. De Ponti etiam litoribus multa accurate cognoverat, etiam in orientali eorum parte, ubi Dandariorum, Coraxorum, Colchorum, Ma-

tienorum, Paphlagonum, aliorum nomina singula situmque satis bene exhibuit naturamque locorum circa mare Hyrcanum descripsit (fr. 172, 185 sqq.). Ne Indi quidem fluminis mentionem omisit; attamen nulla est causa, cur eo eum putemus pervenisse: probabilius est, eum quae de hac regione scripsit, cognovisse a Scylace Caryandensi, quem ab Indo per mare rubrum in sinum Arabicum miserat Darius Hystaspis (cf. fr. 263). Praeterea probabile est, eum multa de partibus regni Persarum orientem versus extensis, quae difficiliora erant aditu peregrinatori, comperisse e tabulis, quas ad describenda tributa confici iusserat Darius (cf. fr. 180). De Aegypto multa tradidit, quae ipse ibi audiverat, quae vero supra Aegyptum sita sunt Aethiopiae partes, de iis fabulas illas de Pygmaeis et Sciapodibus repetere non dedignatus est (fr. 265, 266). Etiam de boreali Libyae litore usque ad columnas Herculis permulta retulit, quae optime cognita habebat. Asiae minoris oram occidentalem et australem accuratissime descripta esse, omnia docent fragmenta, neque de Syria tacuit.

Opera ab Hecataeo scripta.

His itineribus quae compererat et collegerat, duobus operibus scripta composuit, quorum alterum *Περίοδον γῆς*, alterum *Γενεηλογίας* vel *Ἱστορίας* appellavit. Haud dubie enim ad Hecataeum referri debet, quod sueta perturbatione sub Hellanici vocabulo tradit Suidas: *Ἑλλάνικος, Μιλήσιος, ἱστορικός. Περίοδον γῆς καὶ ἱστο-*

ϱίας. Ubi si pro Ἑλλάνικος restitueris Ἑκαταῖος, omnia recte se habent, cum ne Suidam quidem Milesium putavisse Hellanicum, ea docent verba, quae in eodem articulo haec sequuntur: Ἑλλάνικος, Μιτυληναῖος, ἱστοϱικός celt. Quae ex duobus libris de Hecataeo annotaverat, postea perturbata disiunxit. Π ε ϱ ί ο δ ο ς γ ῆ ς, Descriptio orbis terrarum, etiam πεϱιήγησις vocata, duos continebat libros, quorum prior, πεϱιήγησις Εὐϱώπης, omnes, quae Hecataeo innotuerant, *Europae* regiones et populos cum omnibus maris Aegaei insulis praeter paucas quasdam Asiae litori tam prope adiacentes, ut ab eius descriptione divelli non possent, exhibebat, alter Asiam cum Aegypto et Libya. Borealem enim orbis terrarum partem communi Europae nomine designavit scriptor, australem Asiam dixit: fines utriusque statuens in Caucasio iugo, ultra quod Persarum ditio, quae omnem comprehendebat Asiam praeter Libyae partem occidentalem et australem, non pertinebat. (Herod. III, 97; I, 107, 130. Aesch. Pers. 763). Propterea insulas maris Aegaei Europae attribuit, quippe quae non prius, quam Thracia Europaea, Persarum imperio sint subiectae. At si sub communi Asiae nomine comprehendebatur Libya, ubi australis pars telluris boreali, Europae, erat opponenda, tamen Asiae etiam opponebatur Libya, incipiens a sinistra Nili fluminis parte, tota regione Delta Asiae adnumerata, omnibus vero superioris Aegypti urbibus, quae ad laevam Nili ripam sitae erant, Libyae tributis (cf. fr. 273, 271, 275, 288). Harum

regionum, quas discernendo definiri necesse erat, ratione habita, utrumque librum in singula capita descripsit, quorum nonnulla nobis etiam a Stephano Byzantino, qui plerosque exscripsit Hecataei locos, significata sunt: velut prioris libri, Europae, caput, cui nomen erat Hellesponto, in quo Tenedi etiam mentionem habet (fr. 138), ex quo praeterea Cypasis, Limnae, Sestus, Madytus citantur (fr. 136—138). Aliud eiusdem libri caput videtur omnes maris Aegaei insulas comprehendisse, quarum de his eum dixisse constat: Helena, Phacussa, Hydrea, Cimolo, Corseis, Samo, Chio, Oenussis, Lesbo, Lemno, Euboea (fr. 95—107).

Ordinem in populis Europae enumerandis eum instituit Hecataeus, ut a Graecia initium faciens occidentem versus pergeret, id quod apparet e pluribus locis: ubi in designanda terra Locrorum Ozolarum primum Chalaeum, situm prope Cirrham in extremo sinus Cirrhaei recessu, deinde Oeanthen recenset, sitam in ore eiusdem sinus in litore eius occidentali (fr. 83); ubi terram inter sinum Cirrhaeum et Chaoniam in medio positam comprehendens priore loco sinum, deinde Chaoniam memorat (fr. 74); ubi in designandis finibus Chaoniae primum australem circa Buthrotum, deinde borealem prope Oricum nominat (fr. 75); ubi a Sesarethiis ad boreales eorum accolas, gentem Chelidoniorum pergit (fr. 67). Neque contra hanc dispositionem facit, quod in describenda terra Molossorum post hos ipsos mentionem Dodonaeorum, qui australem eorum partem tenerent, collocavit (fr. 78): videtur in

regione illa per oram maritimam perrexisse, mediterraneos vero populos oblata occasione iis, qui ad mare pertinebant, annexuisse: neque aliam habebat ansam dicendi de Dodona, nisi in exhibenda Molosside, cui ipsum hunc locum attribuit, quae in media terra late extendens orae maritimae exiguum modo tractum obtinebat.

Posterioris libri, qui *Asiam* exhibebat, plura quam prioris capita nobis designantur; velut Aeolica, in quibus Amazonei et sinus Smyrnaei mentionem facit (fr. 212, 213); deinde Aegyptus, quae pariter atque Aeolica libri instar citatur (fr. 272, 274, 277, 284), quo capite etiam Aethiopica quaedam depinxit, velut Sciapodes et Pygmaeos (fr. 265, 266) insulam Hysaes (fr. 267), atque Phoenicum urbem Liebridem (fr. 283); Arabum oppidum Tabin (fr. 264); cum tamen constet, Aegypti descriptionem non esse librum alium, quoniam loci Aegyptiaci siti in ipsa regione Delta modo e posteriore Periegeseos libro, modo ex Asiae descriptione repetuntur (fr. 280, 273). Tertium denique eiusdem libri caput Libyae nomine designatum erat, cum modo ex Asiae (fr. 302, 305, 306, 307, 308, 309, 320, 323, 324 Thrince oppidum prope columnas Herculis; 326 Metagonium e regione Carthaginis Novae; 327 Melissa et 328 Duriza utraque in litore Oceani occidentalis sita), modo ex Libyae descriptione (fr. 271, 275, 288, 299, 303, 314, 315, 316, 321, 322) urbes Libyae citentur. Probabile est, partem huius capitis, Libyae, nomen gessisse Libyae Phoenicum (cf. fr. 311).

Ordinem in Asiae populis recensendis eundem, quem in Europa, instituit Hecataeus, exorsus ab iis regionibus quae Graeciae maxime sunt vicina, in occidentali Asiae ora meridiem versus perrexit, Lebedo post Teum (fr. 219), Co post Myndum (fr. 228) nominata; in boreali orientem versus, quippe qui Alaziam trans Aesepum collocet (fr. 203); Chalybes ante Armenios (fr. 195), Tibarenos ante Mossynoecos (fr. 193), Bechires ante Choos, Choos ante Dizeres (fr. 190), Parthos ante Chorasmios (fr. 173), portas Caspias ante Medos commemoret (fr. 171): saepius addens, posteriores utrorumque populos habitare prioribus a parte orientali. Itaque cum in altero libro occidentem, in altero orientem versus perrexerit: exordium utriusque positum videtur in Hellesponto, primum Europae caput nomine Hellesponti, primum Asiae caput nomine Aeolicorum designata fuisse, ideoque sola haec praeter Aegyptum et Libyam, quarum alia est ratio, diserte nominata esse ab epitomatore. Ab Hellesponto nunc per Archipelagum, Graeciam et Italiam in Iberiam, nunc per Thraciam et Scythiam usque ad Caucasum processit. Ab Aeolicis nunc per mediam Asiam minorem ad Chalybes, Colchos, Medos, Parthos, Persas, Indos, nunc per occidentalem et australem Asiae oram ad Syriam, Aegyptum, Libyam. Sed quamvis certa haec existimo, tamen, quia in singulis rebus certum et verum operis ordinem restituere non potui, relicta hac via eo ordine, quem Scylax offert, fragmenta disposui. Aegaei maris

insulas dedi post descriptionem Atticae (fr. 95 sqq.), in Thracia describenda bis a Paeonibus exorsus sum, nunc populos inter Haemum montem et Aegaeum mare habitantes recensens usque ad Byzantium (fr. 125—140), nunc per Desilos et Datyleptos Haemo traiecto borealem Thraciae partem sitam inter Haemum et Istrum perlustrans (fr. 141—152). Asiae descriptione in vicinia Caucasi incepta nunc per Medos, mare Caspium, Parthos, Indos ad Persas profectus sum (fr. 164—184), nunc ad Bospori viciniam regressus per Coraxos, Colchos, Asiae litus boreale, occidentale, australe, per Syriam et Aegyptum usque ad Libyam (fr. 185 sqq.).

In exhibendis singulis regionibus hac ratione utebatur Hecataeus. Populum primo commemorabat, id quidem locutione admodum simplici, velut: »Parthorum ab orientali parte habitant Chorasmii« (fr. 173 cf. fr. 190, 193, 195, 305), vel: »hucusque Bechirice, excipiunt vero hos Choi« (fr. 190); deinde urbes, aeque simpliciter, velut ubi Oenotrorum tractum mediterraneum adumbrat: »inest vero Ixias urbs, inest etiam Menecine urbs« (fr. 35. cf. 99, 116, 175, 180, 193, 217), sive de Iapygia: »inest vero Chandane urbs, post vero Peucaei« (fr. 56) vel solum: »post vero Sixus urbs« (fr. 9 de Mastianis: cf. fr. 140, 251, 252, 260), sive de Sicilia: »post vero Catana urbs, supra vero mons Aetna« (fr. 44); de Locris: »post vero Locri: inest vero Chalaeum urbs, inest etiam Oeanthe urbs« (fr. 83). Interdum breviter addit, ex quanam gente oriundi sint

incolae, velut Dymen fuisse Epeorum et Achaeorum (fr. 91), vel ubi de sinu Thermaeo sermonem facit: »est vero ad eum Therma, urbs Graecorum Thracum, est etiam Chalastra, urbs Thracum« (fr. 116), velut de Bospori Thracii accolis: »post vero Boryza, urbs Persarum; post vero Thynias (deducta) a Byzanta, urbe Cauconica« (fr. 140, cf. 207). Passim brevem de historia urbis notam spargit: »post vero, quae olim Doros, nunc vero Dora appellatur« (fr. 260) et de diruta Alazia (fr. 202). Ethnicum civium cuiusque urbis vocabulum saepissime videtur vel directo addidisse, vel eo in descriptione urbis usus esse (cf. fr. 254). Saepius etiam principem urbis deum commemoravit, ut Alazonum pagos venerantes Apollinem (fr. 202), magnam matrem in Lemno adoratam, cui virgines sacrificarent, quae insulae nomen dederit (fr. 102), quanquam non omnino constat, num Hecataeo hoc debeat Stephanus.

Semper fere operam dedit, ut originem vel conditorem urbis cognosceret atque annotaret, velut Crisum, Phoci filium, conditorem Crisae (fr. 86): Phocum ipsum auctorem nominis Phocensium (fr. 84), Motyam mulierem, quae Herculi boves ostenderit, heroinam Siculae urbis Motyae (fr. 47), Soloentem Siculum inhospitalem, quem Hercules occiderit, auctorem oppidi Soloenti (fr. 48), Liburnum Liburnorum (fr. 61), Chaeronem Chaeroneae (fr. 87), Thersandri filium Coronum Coroneae (fr. 88), Ephyram Myrmecis filiam, uxorem Epimethei, Ephyrae vel Corinthi (fr. 90), Helenam navi appellentem insulae

Helenae (fr. 95), Chium Oceani filium, vel nympham Chionam Chii (fr. 99), Macaris filiam Mytilenen Mytilenae (fr. 101), Crethei filiam, Thoantis uxorem Myrinam Myrinae (fr. 104), Comben, quae Chalcis appellata esset, filiam Asopi, Chalcidis Euboicae (fr. 105), Cnopum, Codri filium, Cnopupoleos vel Erythrarum (fr. 215), Xanthum vel Aegyptium vel Cretensem Xanthi urbis Lyciae (fr. 241), Patarum filium Apollinis e Xanthi filia Lycia Patarae (fr. 242), Sidam Tauri filiam, uxorem Cimoli, Sidae urbis Pamphyliae (fr. 250), Nagidem gubernatorem Nagidi urbis Cilicum (fr. 252). Et sicut in pluribus etiam locis Herculis facta commemoravit, ita saepissime operam dedit, ut eas definiret regiones quas commemoravit Homerus. Cum hoc non in iis modo concinit nominibus, quae ad Mileti viciniam pertinent, ubi montem Latmum, quem posteri dixerunt, eodem quo Homerus nomine Φθειρῶν significavit (fr. 227), sed Scaeorum quoque populum prope Hellespontum memoravit, abs quo haud dubie portae Scaeae Troianae nomen derivavit (fr. 133); contendit urbem Henetam, cuius mentio est in Homero, esse eandem, quae suo tempore Amisus diceretur (fr. 200); Alizones Alybam incolentes esse eosdem, qui tum Alazonum vocabulo designati pagos circa dirutam urbem Alaziam habitabant (fr. 202); atque Cabassum urbem Othryonei sitam esse in Thracia trans Haemum montem (fr. 144). Aethices etiam Homeri haud dubie spectabat, cum de Aezice, Thraciae parte, dixit (fr. 115), et ne Cimmeridem quidem urbem

et Pygmaeos, quos ab Homero cognoverat, e tabula geographica eiici passus est (fr. 2, 266): ut in his omnibus minime liberum ostenderit iudicium. Neque desunt alia eiusmodi exempla, quae dubitantem prodant inter fidem, quam fabulis habebat, aetatisque notiones philosophiae initiis iam eruditas. Id enim non amplius credibile putabat, in ipsam inferorum ditionem posse quemquam pervenire, ideoque non ipsum illum Cerberum sed terribilem draconem, qui in Taenaro habitavisset, Mortis canem appellatum ab Hercule ad Eurystheum esse deportatum (Paus. III, 25, 5, v. fr. 347). Ceterum longinqua itinera potius quam ingentia facta ab Hercule videtur abrogavisse, cum Geryonis Erythiam non insulam Oceani sed campum Chaoniae esse contenderit (fr. 349). Cernitur vero in his omnibus sincerum eius, quod verum sit, cognoscendi studium, ut optimo iure eum professum esse appareat, quae in initio Historiarum dixit: sese haec narrare, prout sibi vera videantur: fabularum vero quas ferrent Graeci, permultas esse ridiculas (fr. 332). Et multo meliore iudicio, quam ubi criticum vel interpretem Homeri agit, usus est in dignoscendis iis, quae ad rerum naturam pertinent. Quod ex Oceano Nilum derivavit, recta quidem non erat eius opinio, sed, modo recte statuisset, esse Oceanum, probabilis, neque dubitandum est, quin aeque severa castigatione Herodoti derivationem reprehendisset, atque qua ille contra se usus est. Bene perspexit, probabilem non esse eam opinionem, quae eundem fluvium in duabus terris mari

seiunctis fluentem statueret: ideoque diversum esse censuit Inachum Amphilochiorum ab Argolico (fr. 72). Aegyptios terram Delta debere Nili alluvioni, non minus recte perspexit, quam Herodotus (fr. 279). Ferri ab undis insulam Chembin, facilius credidit Aegyptiis, quam Herodotus, absurdi tamen nihil in hac opinione inerat (fr. 284). Cum vero reliqua omnia accurate adumbrare solitus sit; in descriptione regionis Aesepi amnis erroris vel perturbationis arguitur a Strabone (fr. 203).

Ut in his multa longius disputavisse vidimus Hecataeum, licet ipsas non amplius superstites habeamus disputationes, ita in iis etiam, quae servata sunt, multa accuratius animadversa et descripta cernimus. Habitum vestitumque barbarorum saepius enarravit, velut Mastienorum et Paphlagonum (fr. 189), vittasque, quibus mulieres quaedam, quarum vocabulum nescimus, caput circumdabant (fr. 329). Superbos Thracum animos, singulares Paeonum in potu miscendo mores et varia Aegyptiorum instituta annotavit (fr. 144, 123, 289—291, cf. 276). Terrarum quas adiit, montes, silvas, arbores et animalia descripsit, velut Adriae (fr. 58), Hyrcaniae (fr. 172), Chorasmiae (fr. 173), ripae fluminis Indi (fr. 174): et in Aegypto phoenicem avem, hippopotamum, crocodilum (fr. 292—294), quorum enarrationem Herodotus ad verbum ex Hecataeo transtulit. Ponti Euxini Syrtidisque maioris, quam Psyllicum sinum appellabat, magnitudinem accurate definivit (fr. 163, 303).

Alexandrinorum grammaticorum sunt, qui dubitaverint, num Hecataeo Milesio revera tribuendum esset opus illud, quod Periegeseos nomine designabatur, quod ab Hecataeo Teio potius repetendum duxit Callimachus, cuius auctoritatem secuti sunt Athenaeus (II, p. 70) et Arrianus (Exp. Alex. V, 6). Callimachum refutavit Eratosthenes, qui ex altero Hecataei opere ostendit, utrumque ab eodem profectum esse scriptore (Strab. I, p. 13). Possit quidem aliquis existimare, revera in Periegesi illa contentum esse vetustum opus Hecataei, sed tam multa fuisse intrusa et interpolata, ut alienam magis quam germanam speciem tulerit: id quod facile accidit ei libro, ex quo omnes Graeci homines scientiam geographiae sibi comparavisse videntur. Id vero Eratosthenis sententiam confirmat, quod in iis etiam, quae nobis e Periegesi servata sunt, vetustiora urbium nomina et designationes reperiuntur. Si quae mutata essent in commodum discipulorum, ante omnia haud dubie pro Zancle Messanae, pro Catana Aetnae vocabulum esset inductum neque Boryza nomen urbis Persicae retinuisset (fr. 43, 44, 140). Ipsum illum, de quo excerpsit Stephanus, Hecataei librum cognitum habuisse et respexisse Herodotum, constat e descriptione Chembis insulae, quam »vehi et moveri« dixit Hecataeus, cui refragatus »neque vectam neque motam sese vidisse« confirmat Herodotus (fr. 284). His accedit, quod ea, quae nobis restant, fragmenta, quae regiones Aegypto vicinas spectant, sine ulla perturbatione concinunt cum iis, quae

aliunde novimus statuta ab Hecataeo de Nilo, regione Delta confiniisque Asiae, Aegypti ac Libyae, quod fieri non posset, si gravibus interpolationibus codex ille, quo Stephanus usus est, fuisset onustus.

Maxima fragmentorum Periegeseos pars nobis a Stephano servata est. Constat vero, non integrum a mendis fuisse illum Hecataei codicem, ex quo nomina et designationes urbium Stephanus exscripsit: tamen non additamentis eum fuisse depravatum, sed erroribus librariorum vel interitu literarum quarundam. Exemplo est, quod urbs Molycrae, quia litera *M* evanuerat, quasi exordium eius esset a litera *O*, in lexico illo collocata est (fr. 81). Similis error fortasse inest in mentione Myrgetarum, populi Scythiae (fr. 155), in vocabulo Dedmasa, quod idem videtur, quod Medmasa (fr. 230), et in commemoratione urbium Syriae Canytidis et Cardyti (fr. 261. 262). Stephani epitomatoris opus ad nos nonnisi ab epitomatore correptum pervenit, qui permulta turbavit, in quo multa etiam a librariis turbantur, velut si urbs *Αὔξεια* inter *Αὐδίαν* et *Αὐκαίαν* collocata invenitur, id quod probabile reddit, restituendam esse formam *Αὔζεια* (fr. 80). Forte igitur fortuna profecto factum esse profitendum est, si multa ipsis Hecataei verbis tradita sunt, neque in nominibus unquam neque in descriptionum verbis singulis certam codicibus fidem esse habendam. Praeter Stephanum ab Athenaeo, Strabone, Diodoro, Eustathio, lexicographis aliis, nonnulla sunt servata, quibus compa-

ratis et continuum universi operis conspectum restituere et orationis artisque exempla offerre possumus. Saepe Hecataei opere usus est Herodotus, exscripsit ex eo Damastes (Agathemer. I, 1), manebant eius libri in omnium manibus usque ad imperii Romani interitum, et Avienus et Ammianus Marcellinus nonnulla ex iis in suos libros transtulerunt 9).

Titulus operis videtur fuisse *Περίοδος Γῆς*, Terrae Circuitus, quippe quo in designando eo utantur Strabo (fr. 202), Herodotus (fr. 1 init.), Suidas (cf. p. 12), et in designando libro priore Athenaeus (fr. 123: ἐν *Εὐρώπης περιόδῳ*). Libris singulis *Europae* et *Asiae* vocabula videtur indidisse, quibus a Stephano plerumque significantur: capitibus singulis singularum regionum nomina. In ipsa narratione ubi operis mentionem fecit, saepius voce *περιηγήσεως* usus videtur (cf. fr. 81, 107, 113, de Europa; fr. 172, 173, 181, 262, 263, 273, 305, 307, 323 de Asia; fr. 264, 265, 267, 272, 274, 277, 283, 284 de Aegypto; fr. 275, 299, 303, 311, 314, 316, 321, 322 de Libya; fr. 280 de libro posteriore; fr. 301, 304, 312, 313, 314, 325, 330 de opere universo.

Tabulam addidi fragmentis Hecataei, quae orbem terrarum, qualem eum sibi finxit logographus,

---

9) Hecataeum ipsum e scriptis Melesagorae, antiquissimi historici (Dion. Hal. Iudic. de Thucyd. 5) multa recepisse retulit Clemens (Strom. VI, p. 629), cui quae fides habenda sit, incertum relinquo.

et singula populorum urbiumque nomina, quae in fragmentis inveniuntur, exhibet. Locorum distantia determinata est ad regulam numerorum, quos Scylax, et plerumque quidem rectissime, tradit. Quod Carthaginem, fretum Siculum et Romam urbem sub eodem, quem dicunt, meridiano collocavi, sub eodem etiam Alexandriam, Rhodum, Byzantium: eo me movit auctoritas Eratosthenis, cuius haec erat opinio (Strab. II, p. 148 sq), quem Hecataeo usum esse scimus. Vix enim hunc errorem commisisset Eratosthenes, si rectiora in Hecataei libro invenisset. Qua re universa detorquetur Italiae forma, magisque, quam revera est, similis redditur folio querno, quocum confertur a Plinio (III, 5, 6), id quod repetitum videtur e Timaeo, cuius aetate tantum patebat usus nominis Italiae. Animadvertit hoc Niebuhrius. De nimia Sardiniae magnitudine quaerendus est Scylax, qui hanc maximam existimabat insulam. De singulis fluminibus, locis, populis singulae inspiciendae sunt tum Hecataei, tum Scylacis enarrationes. Ab ipso Hecataeo talem confectam esse tabulam non directo traditur, sed primo ab Anaximandro hoc esse susceptum [10]. Neque ab Anaximandro honorem illum abrogabimus, id tamen nemini dubium esse potest, quin consuetudine uterque

---

10) Strab. I, 13. *Ἀναξίμανδρον μὲν οὖν ἐκδοῦναι πρῶτον γεωγραφικὸν πίνακα, τὸν δὲ Ἑκάταιον καταλιπεῖν γράμμα.* Cf. locum Agathemeri not. 6: *Ἀναξίμανδρος ὁ Μιλήσιος, ἀκουστὴς Θάλεω, πρῶτος ἐτόλμησε τὴν οἰκουμένην ἐν πίνακι γράψαι. Μεθ' ὃν* cett.

iunctus fuerit et hac Anaximandri tabula usus sit Hecataeus, locos a sese spectatos in ea consignaverit totumque hoc opus in libro descripserit: idemque postea Aristagorae tradiderit, qui talem Lacedaemoniis tabulam ostendit, in cuius consilio insignem fuisse Hecataeum scimus[11]). Anaximandri consuetudo philosophi etiam honorem in Hecataeum videtur contulisse[12]), eum scilicet, qui est cuiusvis hominis qui rerum, quas cognovit, causas intelligere studet, id quod maximopere egisse Hecataeum, antea diximus. Neque ab alia causa id repeto, quod a Suida inepta temporum perturbatione Protagorae discipulus dicitur (cf. not. 2), sive Hecataei Teii mentionem cum eo confudit Suidas, sive Pythagorae vocabulum Protagorae loco restituendum est. Id enim nemo existimabit, disciplinae Pythagoreorum eum fuisse ascriptum. Atque de perscrutandis potissimum causis earum, quas visu et auditu percepit, rerum hoc esse dictum, apparet ex addita laude amplae, quam Hecataeus sibi paraverit, cognitionis. Hic enim inter antiquissimos πολυμαθεῖς refertur cum a Strabone (I, p. 14), tum ab Heraclito, qui cum multas eius pariter atque Herodotus improbavisse videatur opiniones, copiam illam doctrinae neque Hesiodi, neque Pythagorae, ne-

11) Cf. not. 1. Herod. V, 49: Ἀρισταγόρης – ἔχων χάλκεον πίνακα, ἐν τῷ γῆς ἁπάσης περίοδος ἐνετέτμητο καὶ θάλασσά τε πᾶσα καὶ ποταμοὶ πάντες. Cf. Creuzer. p. 9. sqq.

12) Cf. Strab. I, init. I, 13. οἰκεῖος φιλοσοφίας.

que Xenophanis, neque Hecataei mentem satis expolivisse contendit (Diog. Laert. IX, 1). Neque tamen idem, quod Heraclitus, de aestimando Hecataeo censuerunt plerique homines Graeci, a quibus per longum tempus eodem fere inter historicos, quo Herodotus, Thucydides et Xenophon, quo Pythagoras in philosophis honore celebrabatur (Hermogen. de gener. dicendi II, c. 12, s. fin. ubi Herodotus, Thucydides, Xenophon, Hecataeus eodem fere loco collocati Hellanico, Theopompo, Ephoro, Philisto ex aestimatione Graecorum longe superiores et imitatione digni habentur, cf. Aelian. Var. Hist. XIII, 20): ut in eo cive insignis aliqua Mileti totiusque Asiae minoris gloria posita esse videretur (Strab. XIV, p. 942. Solin. c. 43). Ne Herodotus quidem, qui saepius ei refragatur, eius auctoritatem aspernatur, quam nunc ipsa refutatione agnoscit, nunc sine certamine tum in rebus historicis tum in iis, quae ad rempublicam pertinebant, commemorat.

Quam laudem geographico opere non magis, quam historico adeptus est Hecataeus. Scripsit enim hic primus, id quod Suidas refert, *ἱστορίαν, συγγραφὴν δὲ Φερεκύδης*. *Historiarum* vocabulum cur libro inditum sit, cernimus ex initio huius operis a Demetrio Phalereo nobis servato (fr. 332): »Hecataeus Milesius ita disserit: haec scribo, ut mihi vera videntur esse; Graecorum enim narrationes multae et ridiculae, ut equidem iudico, sunt.« Itaque ab hac veritatis rerum enarra-

tarum perscrutatione *ἱστορίας* vocabulo opus designatum est, cum Pherecydes et probabilia et dubia sine ullo discrimine congesserit. Satis enim cognitum est, antiquissimos illos logographos nihil egisse, nisi quod metrica forma dissoluta fabulas pedestri sermone narrabant [13]), quibus meliora et certiora edere conatus est Hecataeus. Atqui non Historias ipse hos libros videtur appellavisse, sed *Genealogias*. Quae ab omnibus adhuc, quantum equidem scio, nostri aevi viris doctis aliud opus fuisse existimantur. At difficile erit discernere, quasnam fabulas logographus Graecus potius in Genealogias, quasnam in Historias relegaverit. Tum Genealogias tum Historias complures comprehendisse libros, novimus: tum ex his, tum ex illis urbium vocabula citantur: neque haec solum, sed in secundo Genealogiarum libro Herculis expeditionem adversus aprum Erymanthium et res Amazonum, in tertio mores Arcadum enarratos fuisse cernimus (fr. 344, 355): quae si ulla ratione utrumque opus discerni posset, haud dubie potius in Historiis collocata fuisse existimaremus. Praeterea Herodotus historicum illud opus vocabulo *λόγοισι* designat (VI, 137), neque aliud quidquam sunt *γενεαλογίαι* nisi *γενεῶν λόγοι*, enarrationes generum humanorum inde a diis eorum auctoribus principibusve heroibus, quos

---

13) Strab. I, p. 34: *Λύσαντες τὸ μέτρον τἄλλα δὲ φυλάξαντες τὰ ποιητικὰ συνέγραψαν οἱ περὶ Κάδμον καὶ Φερεκύδην καὶ Ἑκαταῖον.*

terra partu edidit, usque ad eam aetatem, qua uniuscuiusque eorum proles interiit. Neque desunt scriptorum veterum testimonia, quod duo tantum opera confecit Hecataeus: tum id, quod a Suida servatum necessario ad Hecataeum, minime ad Hellanicum, referendum esse demonstravi, quo terrae Periodon et Historias scripsisse dicitur, tum aliud minus etiam dubium, ubi Strabo Eratosthenem ideo censuisse tradit, Periegesin esse Hecataei, quod ille ex altero eius scripto (ἐκ τῆς ἄλλης αὐτοῦ γραφῆς Strab. I, p. 13) agnoverit, utrumque ab eodem scriptore repetendum esse. Neque id, quod nunc hoc nunc illo vocabulo hi libri significantur, mirabitur, qui meminerit, quam saepe nomen Periegeseos cum vocabulo Periodi in designando opere geographico commutatum sit. Supersedeamus igitur inutili dubitationi, pro certo affirmaturi, in Genealogiis Hecataei fabulas heroici Graecorum aevi fuisse traditas eo ordine descriptas, ut principio ab ultimis proavis facto, in singulis omnibus singulas eorum res gestas exhibuerit. Rationes, cur haec ita disposita arbitrer, cum per se consentaneae sint, in singulis locis exponam (cf. 334, 344, 361).

Quatuor Genealogiarum libros diserte habemus commemoratos, num plures fuerint nescimus. Quae ex primo libro citantur, tum sub Genealogiarum, tum sub Historiarum vocabulo, si originem eorum, quorum res memorantur, spectas, omnia referenda sunt ad Deucalionidas, multa praeterea, quorum similis est ratio, ex Hecataeo citantur sine

mentione libri: itaque primum progeniem Hellenis, et in ea primum prolem Dori, Doriensium expeditiones, deinde stirpem Aeoli, et in hac Athamantis filium Phrixum, Crethei Aesonem, Aesonis Iasonem cum Argonautis, deinde Crethei Amythaonem, Melampodem, Amphiaraum: postea alium Deucalionis filium Orestheum, Phytium, Oeneum, Tydeum exhibitos fuisse arbitror. Ad secundum librum Herculem cum Heraclidis refero, quorum multa facta ab eo tractata scimus: quae ita disposui, ut primum res Peloponnesiacas, aprum Erymanthium, Augen, Cerberum in Taenaro, hydram Lernaeam, Augeam, deinde reliquas Graecas, Geryonem et Oechaliam, denique exteras, Amazones, postremo Heraclidas recensuerim. Ex libro tertio nonnisi res Arcadum citantur. Atqui cum multas praeterea rerum Argolicarum mentiones habeamus, omnes res Peloponnesiacas, quarum heroes neque ab Hercule neque a Deucalione derivantur, ibi tractatas putavi, velut Aegyptum et Danaum, Danaen, Proetum et Cyclopes, denique Perseum, postea alios in reliqua Graecia ab eadem stirpe oriundos, velut Cadmum. De libro quarto nihil scimus: nonnisi Cariae et Lyciae mentionem habemus: probabile est, ibi fabulas ad Asiam minorem pertinentes fuisse narratas, quarum multas haud dubie novit Hecataeus.

De eo, quo utebatur Hecataeus, dicendi genere insignis est locus apud Hermogenem: »Hecataeus Milesius, quem praecipue in usum convertit Herodotus, purus est et perspicuus, in nonnullis etiam non mediocriter sua-

vis. Cum dialecto mera Ionica neque mixta usus sit, neque variata in modum Herodoti: minus est in dictione poeticus. Neque eius diligentia talis est, neque eius ornatus in dicendo. Propterea iucunditate multum superatur ab Herodoto, sane permultum: quamvis fabulae fere omnia sunt, quae scripsit, et eiusmodi etiam eius historia. Atque non solum sufficit cogitatum perficiendo alicui generi dicendi: multum etiam dictio facit et quae ad dictionem pertinent, velut figurae, membra, rationes connectendi, numeri, clausulae, ad efficiendam delectationem et suavitatem, quales eae sunt, quae in Herodoto inveniuntur, atque aliud orationis genus, quod singulae quaeque orationis formae natura sua efficiunt. Consentaneum igitur est, haec parum successisse Hecataeo, ut qui diligentiae et ornatui dictionis aequalem haud navaverit operam. Haec de Hecataeo[14]). «

---

14) De Gener. Dicendi II, 12: *Ἑκαταῖος δὲ ὁ Μιλήσιος, παρ' οὗ δὴ μάλιστα ὠφέληται ὁ Ἡρόδοτος, καθαρὸς μέν ἐστι καὶ σαφής, ἐν δέ τισι καὶ ἡδύς· οὐ μετρίως. τῇ διαλέκτῳ δὲ ἀκράτῳ Ἰάδι καὶ οὐ μεμιγμένῃ χρησάμενος οὐδὲ κατὰ τὸν Ἡρόδοτον ποικίλῃ, ἧττόν ἐστιν ἕνεκά γε λέξεως ποιητικός. καὶ ἡ ἐπιμέλεια δὲ αὐτῷ οὐ τοιαύτη, οὐδὲ ὅμοιος ὁ κόσμος ὁ περὶ αὐτήν. διὸ καὶ ταῖς ἡδοναῖς ἐλαττοῦται πολλῷ τοῦ Ἡροδότου, ἀλλὰ πάνυ πολλῷ, καίτοι γε μύθους τὰ πάντα σχεδὸν καὶ τοιαύτην τινα ἱστορίαν συγγραψάμενος. ἀλλ' οὐ μόνον ἡ ἔννοια ἱκανὴ λόγων εἶδος ὁτιοῦν ἐξεργάσασθαι, πολὺ δὲ ἔχει καὶ ἡ λέξις καὶ τὰ περὶ τὴν λέξιν, οἷον σχήματα, κῶλα, συνθῆκαι, ῥυθμοὶ, ἀναπαύσεις, πρὸς τὸ ἡδονὰς ποιῆσαι καὶ γλυκύτητας, οἷαί εἰσιν αἱ παρὰ Ἡροδότῳ καὶ νὴ Δία γε ἄλλο τι λόγων εἶδος, ὡς ἕκασται πεφύ-*

Quae in his de Hecataeo disseruit Hermogenes, exemplis probata invenimus in ipsis Hecataei fragmentis. Quod enim ut purum (*καθαρόν*), perspicuum (*σαφῆ*), et satis suavem (*ἡδὺν οὐ μετρίως*) scriptorem laudat: perspicuum genus dicendi id esse antea ipse contendit, quod et purum sit et dilucidum (*εὐκρινές*, I, 3): puritatem vero inesse in iis cogitatis, quae omnium sint communia, et prudentium et puerorum et stultorum (II, 3), in nuda et simplici tractandi ratione, quae nihil quod ad res pertineat prius quam res ipsas exhibeat, in ea dictione, quae a remotioribus notionibus, licet certiorem hae reddant imaginem, sese abstineat, in iis figuris, quae recto potius quam obliquo casu utatur et simplici copula saepius quam particulis, quae conditionem vel relationem designant, sententias connectat, in membris parvis et brevibus, iis, quae commate destinguuntur, vix longioribus, in structura ea, quae vocalium concursum non evitet et per iambos potissimum atque trochaeos incedat, praesertim in initio sententiarum, in iis clausulis, quae vel iambici vel trochaici versus exitui similes sint: quae omnia id efficiunt, ut neque turbetur neque commoveatur neque ad meditationem vel dubitationem compellatur mens eorum qui legunt. Dilucidae vero orationis cogitata esse ea, quibus enarratio

κασιν ἐργάζεσθαι λόγων ἰδέαι. εἰκότως οὖν τοῦτο ὁ Ἑκαταῖος πέπονθε, τῆς ἐπιμελείας καὶ τοῦ περὶ τὴν λέξιν κόσμου μὴ ὁμοίως φροντίσας. τοσαῦτα καὶ περὶ Ἑκαταίου.

distribuatur et adornetur, tractandi rationem eam, quae naturalem in rebus enarrandis ordinem servet, figuras disertam distributionem et enumerationem vel interrogationem, cui ipse respondeat scriptor. Puram igitur fuisse formam eorum, quae cogitavit Hecataeus, inde apparet quod omnia ad sensum rationemque communem revocare conatus est; puram et dilucidam rationem tractandi habes in eo, quod in fragmentis historicis quieta enarratione a patre ad filium (fr. 341), in geographicis a terris ad populos, a populis ad urbes, ab appellanda ad depingendam regionem pergit (ut in illo: »post vero Locri: inest vero Chalaeum urbs, inest etiam Oeanthe urbs« fr. 83); puritatem dictionis in eo, quod ubique verbis simplicissimis, ἔστιν (fr. 350), παρεγένετο (fr. 352), κακὰ πολλ' ἔοργεν (fr. 344) utitur, rarissime poetica formula aliquid designans, velut Aegyptum fluminis donum (fr. 279), id quod ipse annotavit Hermogenes, multo saepius talia inveniri apud Herodotum; puritatem figurarum in eo, quod nusquam in omnibus fragmentis invenitur genitivus absolutus, quippe quo eam maxime turbari contendat Hermogenes (I, 3, med.), vel quod in omnibus fere fragmentis, ubi aliquid vel narratur vel describitur, diversa orationis membra particulo δέ vel καί connectuntur; puritatem membrorum in eo, quod sane sunt brevissima, velut illud: »inest vero Ixias urbs, inest etiam Menecine urbs« (fr. 35); »post vero Bo»ryza urbs Persarum, post vero Thynias a Byzanto, urbe »Cauconica (fr. 140); »Aegyptus ipse haud venit Argos:

»monstratur vero Argis collis, ubi iudicant Argivi (fr. 357); »Hecataeus Milesius ita disserit: haec scribo, ut mihi »vera videntur esse: Graecorum enim narrationes mul»tae et ridiculae, ut equidem iudico, sunt« [15]) (fr. 332); puritatem structurae tum in concursu vocalium, velut fr. 341: *καὶ | ὃς — ἐκέλευσε | αὐτόν — αὐτοῦ | ἔφυ | ἄμπελος* et similibus, tum in numero iambico vel trochaico, velut ibidem: υ — — υ — υ υ — υ — υ — — — υ — υ υ υ υ — — | — υ — — — υ υ υ υ υ υ, *Ορεσθεὺς ὁ Δευκαλίωνος ἦλθεν εἰς Αἰτωλίαν ἐπὶ βασιλείᾳ, καὶ κύων αὐτῷ στέλεχος ἔτεκε·* ubi dactylum nonnisi in nomine proprio admisit, sicut anapaestos in principio Historiarum: *Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος ὧδε μυθεῖται· τάδε »γράφω, ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι· οἱ γὰρ Ἑλλήνων*

---

15) Ubi haec Demetrius Phalereus (de Elocut. 12), periodorum arte omnino carere scripta Hecataei demonstrans et esse referenda ad illud dictionis genus, quod solutis utatur membris: *ἡ δέ τις διῃρημένη ἑρμηνεία καλεῖται ἡ εἰς κῶλα λελυμένη οὐ μάλα ἀλλήλοις συνηρτημένα, ὡς ἡ Ἑκαταίου καὶ τὰ πλεῖστα τοῦ Ἡροδότου, καὶ ὅλως ἡ ἀρχαία πᾶσα. παράδειγμα αὐτῆς· Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος* cett. *ὥσπερ γὰρ σεσωρευμένοις ἐπ᾽ ἀλλήλοις τὰ κῶλα ἔοικε καὶ ἐπεῤῥιμμένοις καὶ οὐκ ἔχουσι σύνδεσιν, οὐδ᾽ ἀντέρεισιν, οὐδὲ βοηθοῦντα ἀλλήλοις, ὥσπερ ἐν ταῖς περιόδοις.* Eandem Aristoteles (Rhetor. III, 9. init.:) dicit *τὴν εἰρομένην καὶ τῷ συνδέσμῳ μίαν ----. ἡ μὲν οὖν εἰρομένη λέξις ἡ ἀρχαία ἐστίν, Ἡροδότου Θουρίου ἥδ᾽ ἱστορίας ἀπόδειξις. ταύτῃ γὰρ πρότερον μὲν ἅπαντες, νῦν δὲ οὐ πολλοὶ χρῶνται. λέγω δὲ εἰρομένην, ἣ οὐδὲν ἔχει τέλος καθ᾽ ἑαυτήν, ἂν μὴ τὸ πρᾶγμα λεγόμενον τελειωθῇ. ἔστι δὲ ἀηδὴς διὰ τὸ ἄπειρον. τὸ γὰρ τέλος πάντες βούλονται καθορᾶν.*

»λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσιν·
υ υ — υ υ υ — υ υ — υ — — — | υ — υ — — υ υ
— υ υ υ υ — — — | — υ — — — υ — — — υ — υ — — |
— υ — — — — — υ ubi concitatis quidem numeris initium fecit, mox vero in placidum et tranquillum incessum orationem mutavit. Similia inveniuntur in exitu sententiarum, velut μίσγεται Ζεύς — υ — — (fr. 358), τῶν ἀμπέλων et τὰς ἀμπέλους — — υ — atque Αἰτωλος — ´ — (fr. 341), μέχρι Θερμώδοντος — υ — — — υ (fr. 350). Neque desunt sententiae, quibus distribuatur et adornetur narratio, ut dilucida fiat, quorum exemplum, nobis quidem satis obscurum, videtur inesse in comprehenso sinu Cirrhaeo cum campo Chaoniae (fr. 74) vel in Araxe flumine cum gente Mycorum (fr. 183): quibus, qui satis remoti sunt, compositis fortasse ordinem, quo descripserit opus, declaravit; neque desunt in ipsis membris distributionis et enumerationis figurae, quarum his quidem saepissime usus est, singulis omnibus particula δὲ connexis, de qua re iam satis dictum est. Similia vide fr. 172, 173, 311.

Suavitatem, quam in Hecataeo laudat, Hermogenes in iis invenit cogitatis, quae fabulosi aliquid habeant, eoque maiorem, quo magis fabulosa sint (II, 4): figuras et clausulas easdem, quas puras, etiam suaves existimat, de dictione idem sentit, sed coniungendum esse cum puritate colorem poeticum, quo egregie usus sit Herodotus. Ita in structura etiam, ut non modo pura, sed etiam suavis fiat, requiri numerum, qui poetico sit simil-

limus. Haec ab Hecataeo abiudicantur, qui, licet ea quae in libris cogitata exhibuit, omnia sint fabulosa, tamen et colore poetico et vividioribus plerumque careat numeris. Nam sine pulchritudine orationis suavitatem quoque non manere integram, pulchritudinem vero sine diligentia parari non posse, quae simplicissimae illi, qua scripsit Hecataeus, puritati contraria est. Nam cogitata quidem nihil ad pulchritudinem faciunt, dictionem vero pulchram necesse est esse puram, propterea voces breves et ex paucis syllabis compositae, figurae vero ornatae esse et ornatum afferre debent, suntque variae, quales comparationes, epanaphorae, antistrophae, epanastrophae; membra admittuntur longiora, in structura collisio vocalium et versuum similitudines vitantur, tamen numerosa omnium partium mensura et breves clausulae requiruntur (I, 12). Horum omnium nihil affectavit Hecataeus. Ne tamen eum sedatius omnia et segnius narravisse quis opinetur, animadvertendum est, non numeros solum vividos inveniri in eo, quod in Historiarum initio positum erat fragmento, sed acri etiam interdum exhibendi ratione eum esse usum, velut ubi rerum gestarum narrationem statim ea quae dixerit Ceyx excipiunt (fr. 353): id quod a Longino pro exemplo concitatae orationis annotatum est.

Restat, ut de dialecto Hecataei dicamus, quam Hermogenes vere et pure Ionicam dicit, neque mixtam vel variatam, qua usus est Herodotus. Illa sermonis puritati et simplicitati est aptissima, cum neque collidentes

evitet vocales neque ulli assuefacta sit artificiosae sententiarum dispositioni. Dubium quidem erit, num Herodotus eam ut purissimam agnoverit, quippe qui Miletum cum omnibus Ionum in Caria urbibus sua usam esse dialecto contendat, a reliquis diversa. Exempla mollissimae huius dialecti in multis exstant fragmentis, in aliis obliterata, in aliis partim servata partim neglecta. Hoc ubi animadverti, ibi ipsas restitui formas Ionicas (velut fr. 284 ; ubi certum vero nullum reperi vestigium, codicum lectionem exhibui, quoniam in multis parum constat, utrum ipsa Hecataei verba exscripserit an similibus ad rem designandam usus sit Stephanus. Ionismi exempla sunt tum formae quaedam, velut in Arcadia *Μήκιστον* pro *Μάκιστον* (fr. 92), *Δανᾶ* (fr. 358), vel *Χαδισίη* et *Θεμισκύρη* (fr. 350), *Φαναγόρη* (fr. 164), *ἱρή* et *μεταρσίη* (fr. 284), *ἄκρη* (fr. 311), *Ἰμφέες οἰκέουσι* (fr. 114), *Δολιέας* (fr. 204), *Μυρικόεντα* (fr. 209), *Οἰνέως* (fr. 341), *ἀληθέα δοκέει* (fr. 332), *ἔοργεν* (fr. 344), *ὁμουρέουσι* (fr. 135, 195 cett.), *φορέουσιν οἴην* (fr. 189), *δοκέω* (fr. 331), *δέατα* (fr. 368), *Χαλύβοισι* (fr. 195), *αὐτοῖσι Ἀψινθίοισι* (fr. 135). Usus est etiam verbis raris velut *ἀδελφίζειν* (fr. 354), *γέγειος* (fr. 365), *ἐπίσσαι* (fr. 366), *κίβωτος* (fr. 367), *σκορπίζεται* (fr. 370). Neque ignarus erat priscorum vocabulorum, velut *οἴνης* (fr. 341).

Praeter Hecataeum Milesium mentio fit Hecataei Teii historiae scriptoris (Strab. XIV, p. 953) ab Hecataeo Abderita fortasse non diversi, et Hecataei Eretriensis, qui de Alexandro scripsit (Plutarch. Alexandr. c. 46)

a quo sunt qui Periodum Terrae Milesio subditam existiment. Certi de utroque nihil notum: dixit de iis Creuzerus p. 6 et p. 21. Plura novimus de Hecataeo Abderita, qui sub Ptolemaeo Lagi vixit, Thebas Aegyptiacas adiit, librum scripsit de Aegyptiorum philosophia, fortasse etiam Aegyptiaca, quae cum iis, quae a Milesio de hac terra narrata erant, saepius confusa videntur esse, praeterea librum de Iudaeis, quem item errore Photius ascripsit logographo Milesio, librum Phoenicicorum, alia. De scriptore Abderita conferenda sunt, quae Creuzerus disseruit p. 28—38. Alexandri tempore frequens videtur fuisse hoc nomen, cum etiam inter regis ministros Hecataeus quidam memoretur, qui Attalum dolo interfecerit (Diod. XVII, 5).

Est locus de Hecataeo in Isidoro Hispalensi (Origin. I, 38) a Creuzero designatus, quem ascribam, ne quis eadem qua equidem curiositate motus in eo investigando et evolvendo tempus perdat. Qui cum de metro heroico disseruit quo minime primus usus sit Homerus, sed longe ante eum et Pherecydem Moyses in cantico Deuteronomii, Moysisque temporibus adaequatus Iob hexametro versu dactylo spondeoque decurreret, haec addit: »Hoc apud Graecos Achatesius Milesius fertur primus composuisse: vel ut alii putant Pherecydes Syrius.« E mentione Pherecydis apparet, in Achatesio latere Hecataeum: quaenam vero fides habenda sit Isidoro dicenti de hexametris Hecataei, satis efficitur e perturbatione temporum.

ΠΕΡΙΟΔΟΣ ΓΗΣ.

A.

ΕΥΡΩΠΗ.

1.

Herod. IV, 36: *Γελῶ δὲ ὁρέων γῆς περιόδους γράψαντας πολλοὺς ἤδη καὶ οὐδένα νόον ἔχοντας ἐξηγησάμενον· οἳ Ὠκεανόν τε ῥέοντα γράφουσι πέριξ, τήν τε γῆν ἐοῦσαν κυκλοτερέα, ὡς ἀπὸ τόρνου, καὶ τὴν Ἀσίαν τῇ Εὐρώπῃ ποιεύντων ἴσην.* Quibus Hecataeum respiei admodum probabile est, quippe quem et scripsisse Periodum Terrae et distribuisse hoc opus in duos libros, Europam et Asiam, demonstratum sit: quem praeterea saepius tacita reprehensione ab Herodoto perstringi sciamus (cf. fr. 278 et 296). Oceanum pro flumine, minime vero pro mari, habitum esse a logographo, ex eo patet, quod is mare mediterraneum maximum omnium existimat et vocabulo *τῆς μεγάλης θαλάσσης* designat (cf. fr. 349): circumdatum vero orbem terrarum ab hoc flumine eum putavisse patet e commemoratione Oceani orientalis prope Phasin amnem et

australis, ex quo Nilus derivatur (fr. 187 et 278). Itaque in alio quoque loco de hac opinione Hecataei cogitavisse puto Herodotum (IV, 8): τὸν δὲ Ὠκεανὸν λόγῳ μὲν λέγουσι ἀπὸ ἡλίου ἀνατολέων ἀρξάμενον γῆν περὶ πᾶσαν ῥέειν, ἔργῳ δὲ οὐκ ἀποδεικνῦσι: licet haec proprie dicta sint contra Graecos, qui Ponti litora accolebant. In Oceano eum etiam Cassiterides insulas recensuisse coniicere possimus, quarum nomen notum erat Herodoto, qui fidem famae non habebat (III, 115). Memorat easdem Avienus (Or. marit. 97) qui omnia sua ex Hecataeo, Damaste, Herodoto, aliis vetustis historicis congessit, qui eas miro nomine Oestrymnidum designat. Etiam in Avieni descriptione totum orbem circumfluit Oceanus, quem hic quidem pontum maximum dicit, parentem nostri maris, illabentem per quatuor sinus, Atlanticum, Caspium, Indicum vel Persicum, et Arabicum. (Or. mar. 390 — 400). Qui Oceani fluminis sinus ex Hecataeo recepti videntur. (cf. fr. 100, 182.)

2.

Strab. VII, p. 459: παρ' Ἑκαταίῳ δὲ Κιμμερίδα πόλιν. Recensentur exempla rerum fabulosarum, quas tradiderint historici. Milesium Hecataeum disertis verbis non designavit Strabo, hunc vero esse intelligendum probabile redditur comparato loco Avieni, qui in monte Zephyrio prope Tartesios, in quo Iberus fluvius australis (diversus ab Ibero Tarraconensi) oriatur, locum caliginosum et nebulosum cum fano deae infernae, palude Erebea et civitate Erebi describit. Iam

cum saepius locos ab Homero commemoratos demonstrare conatus sit Hecataeus, probabile est, eum urbem Cimmeriorum ex Odyssea (XI, 14), quae iisdem fere verbis describitur, in hac regione Iberiae prope Tartesios agnovisse. Ipsam Iberiam Herodorus libro decimo de Herculis historia habitatam dicit ab Iberibus, gente magna, quae in singulos populos divideretur. Ad Oceanum occidentem versus incolebant Cynetes, quos a parte orientali Gletes excipiebant, hos vero Tartesii, Tartesios Elbysinii, Elbysinios Mastieni, Mastienos Calpiani, qui usque ad Rhodanum pertinebant. Videtur etiam Hecataeus, qui complures Tartesiorum et Mastienorum urbes commemorat, hos omnes novisse, qui vero praeter hos ab eo describebantur, sive singulae horum populorum tribus, sive ipsi etiam alii Iberum populi interiorem peninsulae partem incolentes habendi sunt. Gletes illos Tartesiorum vicinos etiam Theopompus memoravit libro quadragesimo quinto, Tletum nomine eos significans (cf. Steph. Byz. Τλῆτες), eosdem vero Strabo (III, p. 252) Igletes appellavit. Quod vero Pinedo (in notis in Stephanum p. 210 n. 37) ex ipso Hecataeo Stephanum Tletes diserte attulisse contendit, non est verum. Eam regionem, quae columnis Herculis adiacet, Tartesii incolebant, Baetidique flumini nomen erat Tartesso. (E multis aliis cf. Strab. III, p. 221. Paus. VI, 19, 3. Avien. Or. marit 225). De Tartesso cf. Herod. I, 163. In his probabile est de *Cynetibus* dixisse Hecataeum, ex quo quae Herodotus (II, 33) et Avienus (Or. mar. 205)

tradunt, habitare eos ad fluvium Anam Tartesiorum vicinos, repetendum puto.

3.

Steph. Byz. Καλάθη, πόλις οὐ πόῤῥω τῶν Ἡρακλείων στηλῶν, Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ· Ἔφορος δὲ Καλάθουσαν αὐτήν φησιν. Insulam Calathen prope litus Africae Ptolemaeus memorat (IV, 3), neque improbabile est in descriptione vel Iberiae vel Sardiniae eam ab Hecataeo esse commemoratam. Cf. fr. 317. Fretum, quo columnae Herculis separentur, vix septem stadia latum putavisse Damastem, tradit Avienus Or. marit. v. 370. Damasten ex Hecataeo pleraque sua transscripsisse, scimus ex Agathemero (I, 1), hoc tamen ipsius errori tribuendum videtur, orto fortasse e male intellecta descriptione Hecataei, pariter atque quae de sinu Arabico opinatus est (cf. fr. 263).

4.

Steph. Byz. Ἐλιβύργη, πόλις Ταρτησσοῦ. Ἑκ. Εὐρ. Alia huius urbis mentio non exstat, nam quod eandem, quam Iliberos (Plin. III, 1, 3), sive Illiberidem (Ptolem. II, 4) eam putant interpretes: haec urbs neque Tartesso flumini adiacet, neque Tartessi urbis vicina est, sed Mastianorum ditioni rectius attribuenda. Tartesso revera adiacet Illiturgis (Liv. XXVIII, 19), quod si declarare voluit Hecataeus, Ἐλιθύργη vel Ἐλιδύργη scripsisse videtur, cum apud Stephanum vocem inter Ἐλεύσιοι et Ἑλίκη ordine alphabetico positam inveniamus.

5 (?).

Steph. B. *Ἴβυλλα, πόλις Ταρτησίας, τὸ ἐθνικὸν Ἰβυλλῖνος, παρ' οἷς μέταλλα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου.* Cum auctorem Stephanus omiserit, mentionem urbis alioquin ignotae Hecataeo non inepte tribuas. Strabo (III, p. 209) prope Ilipam multum argenti inventum esse tradit, quae septentrionem versus a Maenoba sita erat. Meminit eius inter alios Livius (XXXV, 1.). Apud Plinium (III, 1, 3) est forma Ilipula.

6.

Steph. Byz. *Μαστιηνοί, ἔθνος πρὸς ταῖς Ἡρακλείαις στήλαις· Ἑκ. Εὐρ. Εἴρηται δὲ ἀπὸ Μαστίας πόλεως.* Eadem Mastia videtur, quae Massia, quam Stephanus (s. v.) ex Theopompo regionem Tartesiorum vel Tartesiis vicinam dicit. Eiusdem mentionem habes Avien. Or. marit. 450, 421. Elbestiorum atque Mastianorum multi in Libyam translati sunt ab Hannibale (Polyb. III, 33). Propterea Philistus utrumque populum in Libya collocavit: Steph. Byz. *Ἐλβέστιοι.*

7 (?).

Steph. B. *Σύαλις, πόλις Μαστιηνῶν.* De auctore tacet. Oppidum postea Suel vocatum est, situm ad mare prope Malacam (Mel. II, 6. Plin. III, 1, 3. Antonin. Itiner. Ptol. II, 4: Suela).

8.

Steph. B. *Μαινόβωρα, πόλις Μαστιηνῶν, Ἑκ. Εὐρ.* Videtur eadem, quam Strabo (III, p. 211), Mela

(II, 6), et Plinius (III, 1, 3) Maenobam, Ptolemaeus (II, 4) Manobam appellant, parum a mari distans, media inter Mundam et Abderam, eo situ, quem nunc Velez Malaga obtinet.

9.

Steph. B. Σίξος, πόλις Μαστιηνῶν. Ἑκαταῖος· »μέτα δὲ Σίξος πόλις.« Urbs postea Sex vocata, a Graecis Ἕξ (Ptolem. II, 4), ab aliis Sexti Firmum (Plin. III, 1, 3), sive Sexitanum (Anton. Itiner.) Ἑξιτανῶν πόλις (Strab. III, p. 236), Hexi (Mel. II, 6).

10.

Steph. Byz. Μολυβδάνα, πόλις Μαστιηνῶν. Ἑκ. Εὐρ.

11.

Steph. B. Εἴδητες, ἔθνος Ἰβηρικόν. Ἑκ. Εὐρ. Nomen ignotum et mire positum inter vocabula Ἐρεχθία et Ἑσπερία. Sed ordo ibi in pluribus turbatus. Si quid mutandum putas, res fit incertior. Loco conveniret Εσκητες vel tale quid, quo Plinii (III, 1, 3) et Ptolemaei (II, 4) Escuam, Livii (XXIII, 27) Ascuam, oppidum Hispaniae Baeticae, significatam putemus. Si verum est nomen, populus idem habendus videtur, qui Sidetani vel Edetani prope Valentiam (Plin. III, 3, 4).

12.

Steph. B. Μίσγητες, ἔθνος Ἰβήρων· Ἑκ. Εὐρ. Sunt ignoti, ideoque a Berkelio iidem putantur, qui Gletes, sine causa: siquidem proprium populi Hispani nomen videtur, quorum multa iisdem syllabis terminantur,

ut Idetes, Ilergetes, Indigetes et Gymnetes Avieni (Or. mar. 464, 523), Cynetes, ipsique Gletes.

13.

Steph. B. *Κραβασία*, πόλις Ἰβήρων· Ἑκ. Εὐρ. τὸ ἐθνικὸν Κραβάσιος, καὶ Κραβασιεύς, καὶ Κραβασιάτης, καὶ Κραβασιανὸς διὰ τὴν χώραν. Iugi Caprasiae in Hispania Tarraconensi in vicinia urbis Sicanae meminit Avienus (Or. mar. 489). Populus videtur idem, qui Carpesii, gens validissima in media peninsula habitans circa Toletum, de qua cf. Steph. s. v. Polyb. III, 14. Liv. XXIII, 26. Iidem alibi appellantur Carpetani Liv. XXI, 5.

14.

St. B. *Ἰλαραυγάται*, οἱ Ἴβηρες· Ἑκ. Εὐρ. Καὶ Ἰλαραυγάτης ποταμός. Dubium non est, quin hoc nomine significetur populus Ilercaonum, sive Ilergetum, sive Ilurgetarum, sive Ilercaonensium, sive Illurgavonensium (Ptol. II, 6. Liv. XXII, 21. Caes. b. civ. I, 60), qui ripas Iberi fluminis, australem maxime, tenebat.

15.

St. B. *Σικάνη*, πόλις Ἰβηρίας, ὡς Ἑκ. Εὐρ. Thucydides (VI, 2) refert Sicanos Iberiae fluvium Sicanum accolentes a Liguribus pulsos migravisse in Siciliam. Hunc Sicanum esse fluvium *Derde*, regionis Ibericae, cuius incolae Deraei appellentur, traditur a Stephano s. v. Δηρά, fortasse ex Hecataeo, eumque pro Sicori, qui Ilerdam praeterfluit et prope Octogesam ab Ibero

excipitur, habebant iam antiqui. (Serv. Virg. Aen. VIII 328). Deram sive Ideram cum Sicanā civitate et flumine Sicano memorat Avienus Or. marit. 469—480.

16.

St. B. Ὕοψ, πόλις ἐν Ἰβηρίᾳ χεῤῥονήσου. Ἑκ. Εὐρώπῃ· »μέτα δὲ Ὕοψ πόλις, μέτα δὲ Λεσυρὸς ποταμός.« Nomen chersonesi Hecataeo deberi videtur, quippe quo etiam Avienus utatur (Or. mar. 491). Praeterea vetustam urbem *Pyrenen* recenset Avienus (559), fortasse ex Hecataeo.

17.

St. B. Κρομύουσα, νῆσος Ἰβηρίας, Ἑκ. Εὐρ.

18.

St. B. Μήλουσσα, νῆσος κατὰ Ἴβηρας· Ἑκ. Εὐρ.

19.

St. B. Ναρβών, ἐμπόριον καὶ πόλις Κελτική. Ἑκ. Εὐρ. Urbs notissima. Scylax, de ipsa tacens, regionem hanc a mixtis Iberis et Liguribus habitari refert. Pergit Stephanus: ἔστι καὶ λίμνη Ναρβωνῖτις, καὶ ποταμὸς Ἀτακός. Ἑκαταῖος δὲ Ναρβαίους αὐτούς φησι. De lacu et fluvio cf. Strab. IV, p. 181. Atáci etiam mentionem deberi Hecataeo, monstrabit locus Avieni fr. 20.

20.

St. B. Ἐλίσυκοι, ἔθνος Λιγύων. De quibus Avienus, Hecataeum haud dubie secutus: »gens Elesycum prius lóca haec tenebat, atque Narbo civitas erat ferocis maximum regni caput. Hic salsum in aequor

amnis Attagus ruit.« Or. Mar. 584. Helisycos memorat Herodotus VII, 165.

21.

St. B. *Νύραξ, πόλις Κελτική. Ἐκ. Εὐρ.* Urbs ignota.

22.

St. B. *Μασσαλία, πόλις τῆς Λιγυστικῆς, κατὰ τὴν Κελτικὴν, ἄποικος Φωκαέων. Ἐκ. Εὐρ.* Quam a mari paene circumfusam describit Avienus (Or. mar. 695), fortasse ex Hecataeo, cui eam quoque famam deberi probabile est, cui credebat ille, Rhodanum triplici ostio evolvi in mare Adriaticum, Ligusticum, et in Oceanum (675), quemadmodum etiam Nilum ex Oceano fluere putabat Hecataeus. Et fortasse de Lemano etiam lacu famam aliquam tradiderat Hecataeus, quem nomine Graeco paludis Accionis designat Avienus (673).

23.

St. B. *Μόνοικος, πόλις Λιγυστική, Ἐκ. Εὐρ.* Portus Herculis Monoeci, dictus, si Servio fides est (Virg. Aen. VI, 831) »vel quod pulsis omnibus solus ibi habitavit Hercules, vel quod in eius templo nunquam aliquis deorum simul colitur, sicut in Iovis Minerva et Iuno, in Veneris Cupido.« Praeter locum Virgilii cf. Tacit. Hist. III, 42. Plin. III, 5, 7. Strab. IV, p. 309 sq. Lucan. I, 408. Sil. Ital. I, 586. Situs est in confiniis Liguriae Italicae et Gallicae.

24.

St. B. *Ἄμπελος*, πόλις τῆς *Αἰγυπτικῆς*. Oppidum ignotum.

25.

St. B. *Αἰθάλη*, νῆσος Τυρσηνῶν. Ἑκ. Εὐρ. ἔοικε δὲ κεκλῆσθαι διὰ τὸ σίδηρον ἔχειν, τὸν ἐν Αἰθάλῃ τὴν ἐργασίαν ἔχοντα. Ferri metalla memorat Plin. III, 6, 12; Virg. Aen. X, 174. Strab. V, p. 341 sq. Latinis dicitur Ilva, Scylaci Aethalia.

26.

St. B. *Κύρνος*, νῆσος πρόσβοῤῥος Ἰαπυγίας. Ἑκ. Εὐρ. Iapygiae mentionem non intelligo. Etiam *Sardiniam* ab Hecataeo fuisse descriptam, efficiendum videtur e mentione insulae Calathae, sitae inter Sardiniam et Africam. Cf. fr. 3 et 317. In Sardiniae ora boreali fortasse regio quaedam exstitit, cuius nomen aliquid similitudinis habebat cum voce Iapygiae.

27.

St. B. *Κάπυα*, πόλις Ἰταλίας· Ἑκ. Εὐρ. ἀπὸ Κάπυος τοῦ Τρωϊκοῦ. Nomen Italiae Stephanum addidisse apertum est et hic et in Capreae mentione. Hecataeus ipse aut, sicut Scylax, ipsos nominavit Campanos, neque tum Latinos neque Volscos ab eo praetermissos esse credibile est, qui quidem a Graecis communi Ausonum nomine comprehendebantur, aut omnes hos populos, qui inter Etruscos et Oenotros habitabant, mero Ausonum nomine appellabat, quod cum Italico confudit Stephanus, qui s. v. *Αὔσων* nullum inter Ausones et

Italos discrimen statuit. *Roma* urbs, cuius meminit Damastes (Dionys. Halic. Antiqu. Rom. I, p. 58), quin nota fuerit Hecataeo, vix dubitandum est. (Cf. Niebuhr. Hist. Rom. II, p. 622).

28.

St. B. *Νῶλα*, πόλις Αὐσόνων· Ἑκ. Εὐρ. Suidas: *Νῶλα*, πόλις Αὐσόνων παρὰ Ἑκαταίῳ. Πολύβιος δὲ Νώλην αὐτήν φησι.

29.

St. B. *Καπριήνη*, νῆσος Ἰταλίας. Λέγονται καὶ Καπρίαι. Ἑκ. Εὐρ. Fortasse *Καπρίη* scribendum, cum syllaba *νη* facile ex vocabulo *νῆσος* orta sit.

30.

St. B. *Ἀρίνθη*, πόλις Οἰνώτρων ἐν μεσοποταμίᾳ. Ἑκ. Εὐρ. Urbem Oenotrorum Arianthen, quae eadem videtur, ex Herodiani libro duodecimo affert Stephanus. *μεσοποταμία* opponitur *μεσογείῳ*: nomen referendum videtur ad Interamniam in agro Bruttiorum sitam: quasnam vero regiones his significaverit Hecataeus nescimus. Oenotrorum regio pertinet a Silaro flumine per Lucaniam et Bruttios usque ad fines Iapygiae et Peucetiae, de quibus cf. fr. 54 et fr. 57. De ipso Oenotriae nomine v. Herod. I, 167. Scymn. v. 244. Nieb. Hist. Rom. I, p. 63. Strab. V, init. VI, p. 391 sq.

31 (?).

St. B. *Βρυστακία*, πόλις Οἰνώτρων. Sine auctoritatis mentione. Hodie dicitur Umbriatico.

32.

St. B. *Δρῦς*, *πόλις Θρᾴκης*, *Ἑκ. Εὐρ. ἔστι καὶ πόλις τῶν Οἰνώτρων*. Probabile est, utriusque mentionem deberi Hecataeo. Oppidum ignotum.

33.

St. B. *Ἀρτεμίσιον*, *πόλις Οἰνώτρων· ἐν μεσογείῳ· Ἑκ. Εὐρ. Φίλιστος δὲ Ἀρτεμίτιον αὐτὴν καλεῖ, ἴσως Δωρικῶς*. Oppidum ignotum.

34.

St. B. *Ἔριμον*, *πόλις Οἰνώτρων ἐν μεσογείῳ. Ἑκ. Εὐρ.* Nunc Regina.

35.

St. B. *Ἰξιάς*, *πόλις Οἰνώτρων ἐκ μεσογείᾳ. Ἑκ. Εὐρώπῃ· »ἐν δὲ Ἰξιὰς πόλις, ἐν δὲ Μενεκίνη πόλις.«* St. B. *Μενεκίνη*, *πόλις Οἰνώτρων ἐν μεσογείᾳ*. Hodie Mendicino, sita ab occidentali parte Consentiae.

36.

St. B. *Κυτέριον*, *πόλις Οἰνώτρων ἐν μεσογειᾳ. Ἑκ. Εὐρ.* Putant Cyterium esse idem quod oppidum Cirisano in Calabria citeriore.

37.

St. B. *Μαλάνιος*, *πόλις μεσογείας τῶν Οἰνώτρων τῶν ὑπὸ Ἑκαταίου καταλεχθεισῶν ἐν Εὐρώπῃ.*

38.

St. B. *Νίναια*, *πόλις Οἰνώτρων ἐν τῇ μεσογείᾳ. Ἑκ. Εὐρ.* Omnes hae urbes sunt Lucaniae et Bruttiorum.

39.

St. B. *Κόσσα*, πόλις Οἰνώτρων ἐν τῷ μεσογείῳ. Ἑκ. Εὐρ. Urbs in agro Thurino, Caesari Cosa dicta (b. civ. III, 22. Vell. I, 14). Hodie Cassano. Quod ad Etruriae urbem inter Populoniam et Tarquinios sitam hunc locum referunt interpretes, satis patet Etruriae et Oenotriae diversitas.

40.

St. B. *Λαμητῖνοι*, πόλις ἀπὸ Λαμήτου ποταμοῦ πρὸς Κρότωνα. Ἑκ. Εὐρώπῃ· »ἐκ δὲ Λάμητος ποταμοῦ Λαμητῖνοι.« Lametia a Crotone totius Bruttiorum agri latitudine distat, ipsa in occidentali litore sita, itaque de regione, quae tantum patebat, dicta videtur vox πόλις. Cluver. Ital ant. IV, 15, p. 1289.

41.

St. B. *Μέδμη*, πόλις Ἰταλίας καὶ κρήνη ὁμώνυμος. Ἑκ. Εὐρώπῃ· »ἀπὸ Μέδμης κρήνης τινός« De eadem Stephanus s. v. Μέσμα, πόλις Ἰταλίας· Ἀπολλόδωρος ἐν τρίτῳ Χρονικῶν. Medamam urbem Locrorum cum Medama fonte haud procul ab amni Metauro memorat Strabo (VI, p. 394). Eandem Plinius III, 5, 10.

42.

Si. B. *Σκύλλαιον*, ἄκρα, περὶ ἧς Ἑκ. ἐν Εὐρώπῃ φησίν. Scyllaeum promontorium v. Ptol. III. 1. Strab. VI, p. 394. Oppidum Scyllaeum Plin. III, 5, 1.

43.

St. B. *Ζάγκλη*, πόλις Σικελίας· Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ· οἱ μὲν ἀπὸ Ζάγκλου τοῦ Γηγενοῦς ἢ ἀπὸ κρή-

νης Ζάγκλης. οἱ δὲ διὰ τὸ ἐκεῖ Κρόνον τὸ δρέπανον ἀποκρύψαι, ᾧ τὰ τοῦ πατρὸς ἀπέκοψεν αἰδοῖα. Num haec omnia Hecataeo debeantur, incertum. Zancle principio a Cumaeis Italiotis, deinde a Chalcidensibus, postea a Samiis habitata, denique ab Anaxilao Rhegino subiecta Messanaeque nomine ornata (cf. Thuc. VI, 4, 5. Her. VII, 164), quod certe factum est ante Ol. 76. 1. quo anno obiit Anaxilaus.

44.

St. B. Κατάνη, πόλις Σικελίας. Ἑκ. Εὐρώπῃ· »μέτα δὲ Κατάνη πόλις, ὕπερ δὲ ὄρος Αἴτνη.« Colonia Thuclis cum Chalcidensibus, qui per annos aliquot Naxi habitaverant, condita quinto anno post Syracusas. Thuc. VI, 3. Aetnae viciniam vide Thuc. III, 116. Inde ab Ol. 76, 1. iussu Hieronis Syracusii Catana nomen Aetnae gerebat.

45.

St. B. Συρακοῦσαι, πόλις Σικελίας μεγίστη, ὡς Ἑκ. Εὐρ.

46.

St. B. Λιλύβαιον, ἡ πρὸς δύσιν ἄκρα τῆς Σικελίας, Ἑκ. Εὐρ. ἔστι καὶ πόλις. Polyb. I, 41.

47.

St. B. Μοτύη, πόλις Σικελίας ἀπὸ Μοτύης γυναικὸς, μηνυσάσης Ἡρακλεῖ τοὺς ἐλάσαντας τοὺς αὐτοῦ βοῦς. Ἑκ. Εὐρ. Φίλιστος δὲ φρούριον αὐτήν φησι Σικελίας παραθαλάττιον. Erat colonia Carthaginiensium sita in insula prope Lilybaeum, quae a Sicilia distabat stadia

sex. Diod. XIV, 52. Hanc cum Soloento et Panormo perpetuo tenebant Carthaginienses, cum ex reliquis Siciliae oppidis eiecti essent a Graecis. Thuc. VI, 2. Alia eiusdem nominis urbs sita erat prope Pachynum et Camarinam, habitata a Poenis et Afris (Paus. V, 25, 5) quae Ptolemaeo (III, 4), Motyca dicitur. Hecataeum vero de altera dixisse, id inde apparere videtur, quod etiam Soloenti mentionem fecit et utriusque originem repetit e fabulis Heracleis.

48.

St. B. Σολοῦς, πόλις Σικελίας, ὡς Ἑκ. Εὐρ. »ἐκλήθησαν δὲ ἀπὸ Σολόεντος κακοξένου, ὃν ἀνεῖλεν Ἡρακλῆς.« Pro *Σικελίας* Mss: *Κιλικίας*, errore, qui tum e similitudine nominum, tum ex eo, quod Soli, quae est vera Ciliciae urbs, hanc praecedit, facillime intelligitur. Pro *ἐκλήθησαν* sunt qui *ἐκλήθη* vel *κέκληται* legere malint, videntur autem haec verba ipsius esse Hecataei, qui de incolis antea dixerit. Memorat urbem Himerae vicinam Plinius III, 8, 14.

49.

St. B. Ἱμέρα, πόλις Σικελίας· Ἑκ. Εὐρ. ἔστι καὶ Λιβύης. Himera ad fluvium Himeram, quem memorat Stephanus, sita Zanclaeorum erat colonia (Thuc. VI, 5), sola in hac regione urbs Graeca (Thuc. VI, 62). Eandem Graeco nomine insignem memorat Scylax. — Libyae urbs ignota; fortasse scribendum est *Λέσβου*, cf. Steph. Ἴσσα, πόλις ἐν Λέσβῳ, κληθεῖσα Ἱμέρα.

50.

St. B. *Μυλαί*, *πόλις Σικελίας· Ἑκ. Εὐρ.* Thucydides (III, 90) hanc Messanae sive Zanclae subiectam dicit. Distabat a Peloro promontorio viginti millia passuum (Strab. VI, p. 266), ab insula Lipara navigio dimidii diei (Scyl.). Hinc oriundi fuisse narrantur illi Zanclaei, qui Himeram condiderunt (Strab. VI, p. 272). Praeterea cf. Suet. Aug. 16.

51.

St. B *Λοκροὶ Ἐπιζεφύριοι*, *πόλις Ἰταλίας. Ἑκ. Εὐρ.* Origines urbis vide apud Strabonem (VI, p. 397). Erat colonia Locrorum Oeanthensium: cf. ad fr. 82. Memorat eam Scylax et ut infestam Rheginis finitimis Thucydides (IV, 1, 24). *Rhegii* mentio, quae nobis non est servata, Hecataeo haud dubie non defuit.

52.

St. B. *Καυλωνία*, *πόλις Ἰταλίας, ἣν Αὐλωνίαν Ἑκαταῖος καλεῖ διὰ τὸ μέσην αὐλῶνος εἶναι.* Eadem referuntur a Strabone (VI, p. 401): *Ἀχαιῶν κτίσμα Καυλωνία, πρότερον δ' Αὐλωνία λεγομένη διὰ τὸν προκείμενον αὐλῶνα.* Crotoniatas fuisse istos Achaeos Stephanus refert s. v. *Αὐλών.* Pyrrhi tempore diruta est a Campanis Romanorum sociis (Paus. VI, 3, 12), cives eiecti novam Cauloniam in Sicilia condiderunt (Strab. l. c.). Memoratur Caulonia a Scylace, Thucydide (VII, 25), Livio (XXVII, 12, 15, 16), Plinio (III, 10, 15) aliis. Forma Aulonia usus est etiam Charax in Italicis (Eustath. Il. IX, 45).

53.

St. B. *Κρόταλλα*, πόλις Ἰταλίας, Ἑκ. Εὐρ. Urbs ignota, sed Crotalum amnem in vicinia Scylacii memorat Plinius (III, 10, 15) cui adiacebat oppidum, quod postea Castra Hannibalis, ab initio fortasse Crotalla vocabatur.

54.

St. B. *Ἰαπυγία*, δύο πόλεις· μία ἐν τῇ Ἰταλίᾳ. καὶ ἑτέρα ἐν τῇ Ἰλλυρίδι· ὡς Ἑκαταῖος. De urbibus nihil notum, probabile est, haec referenda esse ad regiones. Scylax Heracleam, Metapontum, Tarentum et Hydruntum urbes Graecas in Iapygia nominat, Herodotus (IV, 100) Brundusium. Nomen Iapygiae derivabant Graeci ab Iapyge filio Daedali et mulieris Cretensis. Strab. VI, p. 427. E Creta derivantur Iapyges etiam Herod. VII, 170.

55.

St. B. *Ἐλεύτιοι*, ἔθνος τῆς Ἰαπυγιας. Ἑκ. Εὐρ.

56.

St. B. *Χανδάνη*, πόλις Ἰαπυγίας. Ἑκ. Εὐρώπῃ: »ἐν δὲ Χανδάνῃ πόλις, μέτα δὲ Πευκαῖοι.«

57.

St. B. *Πευκετίαντες*, ἔθνος τοῖς Οἰνώτροις προςεχὲς, ὡς Ἑκ. Εὐρ. Apparet ex his, duplici nomine tum Peucaeorum, tum Peucetiantium incolas Peucetiae, quae Scylaci Peucetienses dicuntur, appellatos esse ab Hecataeo. Qui non ad litus sed in media terra

Oenotrorum erant finitimi; a quibus in regione maritima interposita peninsula Iapygia disiungebantur. Necessitudinem, quae inter Oenotros et Peucetios intercedebat, ea significat fabula quae Oenotrum et Peucetium fratres, filios Lycaonis dicebat. Fines Peucetiorum vide Strab. VI, p. 434.

58.

St. B. *Ἀδρία, πόλις, καὶ παρ' αὐτὴν κόλπος Ἀδριὰς, καὶ ποταμὸς ὁμοίως, ὡς Ἑκαταῖος.* »*ἡ χώρα τοῖς βοσκήμασίν ἐστιν ἀγαθὴ, ὥς δὶς τίκτειν* ...... *τὸν ἐνιαυτὸν καὶ διδυμοτοκεῖν, πολλάκις καὶ τρεῖς καὶ τέσσαρας ἐρίφους τίκτειν· ἐνίοτε δὲ καὶ πέντε καὶ πλείους· καὶ τὰς ἀλεκτορίδας δίς τίκτειν τάς ἡμέρας. τῷ δὲ μεγέθει πάντων εἶναι μικροτέρας τῶν ὀρνίθων.*« Videntur haec omnia verba Hecataei. De animalibus, quorum ubertatem praedicat, confer Aristot. Hist. Anim. VI, 1, 19. Scymn. v. 378 sqq. Post *τίκτειν* nomen caprarum videtur excidisse. Urbs, quam memorat, sita est in terra Henetorum sive in terra Gallorum, ubi a Scylace fluvii mentio iniicitur, nam quod a nonnullis locus noster ad Hadriam Picenorum urbem mediterraneam (Ptol. III, 1) refertur, non est quod refutemus. Scylaci regio fluminis Adriae dicitur intimus sinus Adriatici recessus. Adrias postea Tartarus vocatus, Tacit. Hist. III, 9. Sinum Adriaticum vide fr. 71.

59.

St. B. *Ἴστροι, ἔθνος ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ· Ἑκ. Εὐρ.* Inter Gallos, qui ad fluvium Adriam sunt, et

Istros *Veneti* incolunt, quorum mentionem certo non praeteriit Hecataeus. In terra Venetorum Eridanus est (Scyl.). Venetis finitimi sunt Istri, quibus duae adiacent insulae, ubi metalla plumbi albi (Scymn.). Horum litus per millia et trecenta stadiorum extenditur (Strab. VII, p. 483), longitudine navigii diei ac noctis unius (Scyl.). In hac regione fluminis Istri ostia memorat Scylax, errore, quem nominum similitudini debebat, amnem aliquem illic in mare influentem, fortasse Athesin, vel minorem aliquem, habens pro brachio Danubii. Quod enim sunt qui ex alio errore hunc Scylacis locum interpretentur, putavisse eum, Danubium ab occidente orientem versus perfluere Istriam (tum cum Savo flumine Danubium confudisset), ideoque ex eius opinione sinus Adriatici fines boream versus tanto longius fuisse extensos, quanto opus est, si Danubium Istrorum genti vicinum sibi finxerit, haec opinio eo evertitur, quod Scylax, ubi in hac descriptione praeternavigationis litorum fluvium quempiam memorat, ostia semper fluvii intelligit, velut Iberi fluminis (2), Rhodani (3), Teriae (13), Eridani (19), reliquorum, et eo, quod huic Istriaco ostio ea ostia, quibus in Pontum sese effundit Ister, diserte Scylax opposuit: *καὶ ποταμὸς Ἴστρος. οὗτος ὁ ποταμὸς καὶ εἰς τὸν Πόντον εἰσβάλλει.* Confirmatur denique nostra interpretatio ipsis verbis scriptoris praeternavigationis Ponti Euxini (p. 11): *οὗτος Ἴστρος ποταμὸς ὁ καὶ Δανοῦβις καλούμενος, κατέρχεται ἀπὸ τῶν ἑσπερίων τόπων, τὴν ἐκβολὴν πέντε στόμασι ποιούμενος· δυσὶ δὲ περισχιζόμενος καὶ εἰς*

τὸν Ἀδρίαν ῥεῖ. Cf. Scymn. II, 30. p. 45. (Hudson.). Ex his clare intelligitur, cur Istrum cum Nilo comparaverit Scylax: septem utrique tribuit ostia. Idem hoc brevius Strabo refert, indicans simul, a nonnullis scriptoribus Argonautas per hunc duplicem Istrum ductos esse e Ponto in Adriam (I, p. 79), quae cogitatio proxime abest ab Homerica, ubi per boreales terrae partes, quae mari teguntur Homero, Argo redit (Völcker. Geogr. Homer. p. 134). Sinum vero Adriaticum a Scylace non amplius, quam quod verum est, versus boream esse extensum, efficitur ex computatione singularum, quibus litora eius designat, mensurarum. Hecataeus per australem Oceanum et Nilum fluvium reversos esse putavit Argonautas: de Istro vero eum idem cogitavisse, quod omnis eius aetas, probabile est. Istrios Thraces appellat Scymnus (v. 390), cum omnes illos populos, qui australem Istri ripam accolebant, Graeci pro Thracibus habere solerent, borealis ripae accolas narrabant. Sigynnas, pertinentes a Ponto usque ad Venetorum fines, Her. V, 9.

60.

St. B. Καυλικοί, ἔθνος κατὰ τὸν Ἰόνιον κόλπον· Ἑκ. Εὐρ. κέκληται δὲ ἀπὸ ὄρους. Montem Cauliacum cum monte Anguro Apollonius (IV, 324 c. schol.) et Polemo (ib. in schol.) in Scythia prope Istrum collocant. Videtur hoc repetendum ex Hecataeo, qui cum Scylace Istrum apud Istros invenire sibi videbatur, prope Istrum vero Caulicos commemoravit, quos poetae posteriores ad ipsum Istrum transtulerunt. Montem Cauliacum et

Angurum Apollonius putat oppositum Istro, qui propterea disparatus duplici cursu in Pontum et in Istrum effluat.

61.

St. B. *Λιβυρνοί*, ἔθνος προςεχὲς τῷ ἐνδοτέρῳ μέρει τοῦ Ἀδριατικοῦ κόλπου· Ἑκ. Εὐρ. ὠνομάσθησαν δὲ ἀπὸ τινος Λιβυρνοῦ, ἀφ' οὗ εὕρηται τὰ Λιβυρνικὰ σκάφη καὶ Λιβυρνικὴ μανδύη, εἶδος ἐσθῆτος. Num haec omnia ex Hecataeo desumpta, incertum. Tunicam Liburnicam memorat Aeschylus fr. 389 (342 Ddf.) Scylax Liburnos muliebri imperio subiectos refert. Pro ἀφ' οὗ codd. Ἀττικοῦ, quod ex Eustathii commentario in Dionysium optime correxit Berkelius.

62.

St. B. *Μέντορες*, ἔθνος πρὸς τοῖς Λιβύρνοις· Ἑκ. Εὐρ. Insulas Mentorides Liburniae adiacentes memorat Scylax, Scymnus Mentores et Hymanes inter Istros et Liburnos collocat v. 393; quod Eridani ibidem mentionem facit, repetendum videtur ex errore librariorum, ut tota haec descriptio v. 394 — 400 alio transponenda sit, post Umbrorum enarrationem (v. 365 — 367) et mentionem maris Adriatici (v. 368 — 373.) Nam quae in extrema descriptione Eridani narrantur de vestibus incolarum nigris ob luctum, quem de Phaethonte susceperint, pertinent ad ipsas Adrianos, cf. Aesch. Heliad. fr. 63 Ddf., quorum designatio suum locum habet inter descriptionem maris Adriatici, ubi Electrides insulae memorantur, quae in mentem revocant

amnem Eridanum, qui ipse electrum fert, et inter laudes felicitatis terrae Adriaticae. Etiam quae v. 393 dicuntur, bene concinunt cum iis, quae v. 400 sequuntur, ut totus locus ita sit restituendus:

Μεσαίτατον δ' οἰκοῦσιν Ὀμβρικοὶ λεὼ, 365
οὓς φασιν ἁβροδίαιτον αἱρεῖσθαι βίον,
Λυδοῖσι βιοτεύοντας ἐμφερέστατα.
εἶτ' ἐστὶν Ἀδριανὴ θάλαττα λεγομένη,
Θεόπομπος ἀναγράφει δὲ ταύτης τὴν θέσιν·
ὡς δὴ συνισθμίζουσα πρὸς τὴν Ἰονικὴν 370
νήσους ἔχει ταῖς Κυκλάσιν ἐμφερεστάτας.
τούτων δὲ τὰς μὲν λεγομένας Ἀψυρτίδας
Ἠλεκτρίδας τε, τὰς δὲ καὶ Λιβυρνίδας. 373
Ἠρίδανος ὃς κάλλιστον ἤλεκτρον φέρει, 394
ὅ φασιν εἶναι δάκρυον ἀπολιθούμενον 395
διαυγὲς αἰγείρων ἀποστάλαγμά τι.
λέγουσι γὰρ δὴ τὴν κεραύνωσιν προτοῦ
τὴν τοῦ Φαέθοντος δεῦρο γεγονέναι τινές·
διὸ καὶ τὰ πλήθη πάντα τῶν οἰκητόρων
μελανειμονεῖν τε πενθικάς τ' ἔχειν στολάς. 400
τὸν κόλπον ἱστοροῦσι τὸν Ἀδριατικὸν 374
τῶν βαρβάρων πλῆθός τι περιοικεῖν κύκλῳ· 375
ἑκατὸν σχεδὸν μυριάσι πεντήκοντά τε
χώραν ἀρίστην νεμομένους καὶ καρπίμην·
διδυμοτοκεῖν γάρ φασι καὶ τὰ θρέμματα·
ἀὴρ διαλλάσσων δὲ περὶ τὸν Ποντικὸν
ἐστὶν ὑπὲρ αὐτοὺς καίπερ ὄντας πλησίον· 380

οὐ γὰρ νιφετώδης οὔτ' ἄγαν ἐψυγμένος,
ὑγρὸς δὲ παντάπασι διὰ τέλους μένει,
ὀξὺς ταραχώδης ὤν τε πρὸς τὰς μεταβολὰς
μάλιστα τοῦ θέρους δὲ, πρηστήρων τε καὶ
βολὰς κεραυνῶν, τούς τε λεγομένους ἐκεῖ 385
Τυφῶνας. Ἑνετῶν δ' εἰσὶ πεντήκοντά που
πόλεις ἐν αὐτῷ κείμεναι πρὸς τῷ μυχῷ
οὓς δὴ μετελθεῖν φασὶν ἐκ τῶν Παφλαγόνων
χώρας κατοικῆσαί τε περὶ τὸν Ἀδρίαν.
Ἑνετῶν ἔχονται Θρᾷκες Ἴστροὶ λεγόμενοι· 390
δυὸ δὲ κατ' αὐτοὺς εἰσι νῆσοι κείμεναι,
κασσίτερον αἳ δοκοῦσι κάλλιστον φέρειν.
ὑπὲρ δὲ τούτους Ἴσμενοι καὶ Μέντορες· 393
ἡ πλησίον χώρα δὲ τούτων κειμένη 401
ὑπὸ τῶν Πελαγόνων καὶ Λιβυρνῶν κατέχεται.

Cum Eridani mentio, ubicunque collocetur, abrupte incipiat neque cum iis, quae antecedunt, grammatice coniuncta sit, probabile est excidisse versum, quo dictum sit, effundi Eridanum in mare Adriaticum, fortasse etiam, effundi eum prope insulas Electridas, quas ostiis eius vicinas esse narrabant Graeci, etsi revera nusquam exstabant: Strab. V, p. 329. Quod Pontum Adriae vicinum dicit, etiam Polybius opinabatur, ab Haemo monte utrumque mare posse conspici: Strab. VII, p. 481. Plinius (III, 21, 25) Mentores, Hymanos, Encheleas, Bunos et Peucetias Liburnorum partes recenset. Terra Mentorica memoratur in libro de mir. auscult. 112.

63.

St. B. *Ὑθμῖται*, ἔθνος πρὸς Λιβυρνοῖς καὶ Συωπίοις, ὥς φησιν Ἑκ. Εὐρ. Videntur iidem, quos Plinius Hymanos, Scymni codices Hismenos appellant, quodnam nomen pro vero habendum sit, nescimus.

64.

St. B. *Συώπιοι*, ἔθνος προςεχὲς τοῖς Λιβυρνοῖς, ὥς Ἑκ. Εὐρ.

65.

St. B. *Ἰαπυγία*, δύο πόλεις, μία ἐν τῇ Ἰταλίᾳ καὶ ἑτέρα ἐν τῇ Ἰλλυρίδι, ὥς Ἑκ. (Cf. fr. 54). Quod haud dubie dictum est de Iapodibus (Strab. VII, p. 314; Steph. s. v.) vel Iapydibus (Plin. III, 21, 25. Ptol. II, 17) populo Gallicae simul et Illyricae originis, quem ipse Hecataeus Iapyges videtur dixisse. Stephanus enim, qui modo ante ipsos tractavit Iapodes, erroris insimulari vix potest. Neque videtur fuisse error, cum plures eiusdem nominis populi in utroque Adriae litore reperiantur, Chaones et Chones, Peucetii et Peucetiae (cf. locum Plinii in notis ad fr. 62). Permutationis literarum G et D exempla omnibus nota sunt γῆ et δᾶ, γέφυρα et διφοῦρα, itaque forma Iapyges videtur fuisse vetustum nomen Iapydum, quod Hecataei tempore nondum evanuerat.

66.

St. B. *Οἰδάντιον*, πόλις Ἰλλυρίων. Θεόπομπος Φιλιππικῶν τριακοστῷ ὀγδόῳ. τὸ ἐθνικὸν *Οἴδαντες*

ὥς φησιν Ἑκ. Situs urbis ignotus, cum Salmasium, qui eius mentionem in Epidamni vicinitate in Scylacem inseruit, recte refutaverit Palmerius.

67.

St. B. Χελιδόνιοι, ἔθνος Ἰλλυρικόν. Ἑκ. Εὐρώπῃ· »Σεσαρηθίων πρὸς βορέω οἰκέουσι Χελιδόνιοι.« Hecataeum Sesarethum ante Chelidonios recensuisse inde patet, quod horum situm ex illo designat. Eadem haec regio boream versus a Taulantinis sita inter Rhizonem emporium et Buthoen a Scylace tribuitur Encheleis, de quibus v. fr. 73.

68.

St. B. Σεσάρηθος, πόλις Ταυλαντίων, ὥς φησιν Ἑκ. Taulantini sive Talantini memorantur a scriptore de mir. ausc. (Steph. B. Ταυλάντιοι) apud Eratosthenem (St. B. Δυῤῥάχιον) ut populus Illyricus cum urbe Graeca Epidamno, fluviisque Drilone et Aoo, quae omnia etiam Scylax recenset, omissis ipsis Taulantiis, quorum nomen tamen facili emendatione inseruit Gronovius (p. 10 cf. annot. p. 15). Praeterea cf. Plin. III, 24, 26. Ad Drilonem sita est Buthoe, cuius meminit Scylax (p. 9) et Sophocles (fr. 795).

69.

St. B. Ἄβροι, ἔθνος πρὸς τῷ Ἀδρίᾳ Ταλαντίνων προσεχὲς τοῖς Χελιδονίοις, ὡς Ἑκαταῖος.

70.

St. B. Λάκμων, ἄκρα τοῦ Πίνδου ὄρους ἐξ ἧς ὁ Ἴναχος καὶ Αἴας ῥεῖ ποταμός· ὡς Ἑκ. ἐν πρώτῳ.

Hecataeus videtur formam *Λάκμος* usurpasse, siquidem accuratius, quam Stephanus, eius verba reddidit Strabo. Lacmonem nominat Herodotus IX, 93.

71.

Strab. VII, p. 486: *τὸν δ' Ἄωον Αἴαντα καλεῖ Ἑκαταῖος καί φησιν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ τόπου τοῦ περὶ Λάκμον, μᾶλλον δὲ τοῦ αὐτοῦ μύχου τόν τε Ἴναχον ῥεῖν εἰς Ἄργος πρὸς νότον καὶ τὸν Αἴαντα πρὸς ἑσπέραν εἰς τὸν Ἀδρίαν.* Forma Aeantis etiam Scylax utitur.

72.

Strab. VI, p. 417: *Ἑκαταῖός φησι τὸν ἐν τοῖς Ἀμφιλόχοις Ἴναχον, ἐκ τοῦ Λάκμου ῥέοντα, ἐξ οὗ καὶ ὁ Αἴας ῥεῖ, ἕτερον εἶναι τοῦ Ἀργολικοῦ, ὠνόμασθαι δ' ἀπὸ Ἀμφιλόχου τοῦ καὶ τὴν πόλιν Ἄργος Ἀμφιλοχικὸν καλέσαντος· τοῦτον μὲν οὕτω φησὶν εἰς τὸν Ἀχελῶον ἐκβάλλειν, τὸν δὲ Αἴαντα εἰς Ἀπολλωνίαν πρὸς τὴν δύσιν ῥεῖν.* Reprehendit Strabo in iis quae praecedunt, poetas, qui fluvios sub mare demersos ex altera terra in alteram penetrare putaverint, et ex iis Sophoclem, qui Inachum Amphilochicum eundem habuerit, quem Argolicum, laudatque Hecataei, qui hoc reiecerit, intelligentiam.

73.

St. B. *Δεξάροι, ἔθνος Χαόνων τοῖς Ἐγχελέαις προσεχές· Ἑκ. Εὐρ. ὑπὸ Ἄμηρον ὄρος οἰκοῦν.* Encheleae incolunt regionem inter Taulantios, quorum terra fr. 68—72 describebatur, et Chaones, litora maris circa montes Ceraunios (Schol. Apollon. IV, 507. Strab. VII,

p. 502, qui quidem non diserte hoc affirmat, inter eos autem populos, qui regionem ab Epidauro usque ad Acroceraunios pertinentem habitant, Encheleos recenset Cerauniis tantumnon proximos). Horum reges fuisse dicebantur Cadmus et Harmonia, quorum sepulcra ibi ostendebantur (Strab. ib.). Quae omnia a Scylace transferuntur in terram Chelidoniorum Drilonisque amnis vicinitatem, quamquam ex Hecataei descriptione medios inter Chelidonios et Encheleos interpositos fuisse Taulantios manifestum est, neque a Cerauniis disiungi debent Enchelei, quippe quos Dexarorum in Chaonia, quae a Cerauniis incipit, habitantium, finitimos dicat. Cum neque Scylaci neque Hecataeo fidem denegare possimus, Chelidonios, qui cum Taulantiis, Abris, Encheleis et Iapydibus sunt unius stirpis Illyricae, Encheleis proxime cognatos fuisse putabimus, ita ut, quamvis per Taulantios ab iis disiuncti, eodem nomine appellari potuerint, cum similitudo nominum neminem lateat. Quae de Cadmo narrantur, divelli non possunt a regione Drilonis, ubi Buthoae nominis origo ex his fabulis repetebatur (Steph. *Βουθόη*). Scymnus Encheleos circa Apolloniam habitare refert (v. 436). Omnino igitur Encheleorum et Taulantiorum sedes certo vix possunt discerni. Memorat Encheleos Herod. V, 61.

74.

St. B. *Χαονία, μέση τῆς Ἠπείρου* -- *Ἑκ. Εὐρώπῃ· »ὁ δὲ κόλπος Κιῤῥαῖος καὶ τὸ πεδίον ἐν τῇ*

Χαονικῇ.« Rationem, cur haec a scriptore coniuncta sint, reddere non possumus.

75.

St. B. *Ὠρικός, πόλις ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ. Ἑκαταῖος λιμένα καλεῖ τῆς Ἠπείρου τὴν Ὠρικὸν, ἐν τῇ Εὐρώπῃ· »μέτα δὲ Βουθρωτὸς πόλις, μέτα δὲ Ὠρικὸς λιμήν.«* Eadem Hecataei verba affert Eustathius (Dionys. Perieg. 321). Designantur fines Chaoniae, cuius borealis terminus est Oricus, australis Buthrotus, sita in confiniis Chaoniae et Thesprotiae, dicta, ut ferebant, a bove, quem Helenus sacrificavit, vel ut alii narrabant, et fortasse Hecataeus, a Buthroto conditore (Steph. *Βουθρωτός*). Hic quoque scriptorem locum meridionalem ante borealem videmus nominavisse itaque boream versus perrexisse. Ipsa Orici regio non annumeratur Chaoniae, sed est Illyriae, et quidem Encheleorum. Scylax eam Amantinis assignat, quos ultimum dicit Illyriae populum. E regione Buthroti sita est Corcyra insula.

76.

St. B. *Βαιάκη, πόλις τῆς Χαονίας· Ἑκ. Εὐρ.*

77.

St. B. *Ὀρέσται, Μολοσσικὸν ἔθνος· Ἑκ. Εὐρ.*

78.

St. B. *Δωδώνη, πόλις τῆς Μολοσσίδος ἐν Ἠπείρῳ· Ἑκ. Εὐρώπῃ· »Μολοσσῶν πρὸς μεσημβρίης οἰκέουσι Δωδωναῖοι.«*

79.

St. B. Ἐπιλευκάδιοι, πόλις μετὰ Ἀκαρνανίαν· Ἑκ. Εὐρ. Urbem Leucadem antiquo tempore procul a mar sitam fuisse et Epileucadios vocatam, quod nomen postea sit mutatum, refert Scylax (p. 34). Hic etiam boream versus perrexit Hecataeus, qui Epileucadios post Acarnaniam recensuit. In hac regione Ambraciae et Amphilochorum circa sinum Ambracium Hecataeus pariter ut Scylax (26) Geryonem, populorum illorum regem, habitavisse eoque Herculem expeditionem, qua boves ei eripuerit, direxisse contendit. Arrian. Exped. Alex. II, 16.

80.

St. B. Αὔξεια, πόλις Ἀκαρνανίας· Ἑκ. Εὐρ. ἀπὸ Αὐξέως τινός. Nomen hoc medium positum est inter Αὐδίαν et Αὔκαιαν, itaque fortasse Αὔζεια scribendum. Alyzeam urbem Acarnaniae a Lyzeo, filio Icari dictam memorant Stephanus (s. v.) et Strabo (X, p. 695. 705). Annotavit haec Berkelius. Scylaci dicitur Ἀλυττία.

81.

St. B. Μολύκραι, πόλις περὶ Ναύπακτον. Ἑκ. περιηγήσει Εὐρώπης. Oppidum appellabatur Μολύκραι, notum ex Thucydide (II, 84; III, 102) ubi Μολυκρειον. Scylace et Strabone (X, p. 705) ubi Μολύκρεια dicitur. A Stephano scribitur Ὀλύκραι, locumque obtinet inter eas urbes, quae a litera O incipiunt. Dubium non est quin depravato Hecataei codice, ubi litera M forte exstincta erat, usus sit Stephanus.

Molycria iacet in Aetolia prope Antirrhium. Ptol. III, 15. Locris Ozolis assignatur.

82.

St. B. *Οἰανθή*, πόλις Λοκρῶν· Ἑκ. Ἀσίᾳ. Ἑλλάνικος δὲ Οἰάνθειαν αὐτήν φησιν. Quod Ἀσίᾳ pro Εὐρώπῃ commemoratur, videtur esse nihil nisi vitium Stephani. Sita est in ore sinus Cirrhaei, cuius meminit Hecataeus fr. 74, urbs Locrorum Ozolarum (Scyl. 36). Cf. Müller. in Pindaro Dissenii (II, p. 727). Scylaci dicitur Εὔανθις (Stephanus etiam formam Οἰανθίς recenset). Ptolemaeo Euanthia (III, 15). Cf. fr. 83. Pertinet huc etiam Euanthes, quem cum Locris ad sinum Crissaeum habitantibus Locros in Italia condidisse refert Strabo (VI, 397), itaque hanc urbem Oeanthae coloniam habemus.

83.

St. B. *Χάλαιον*, πόλις Λοκρῶν· Ἑκ. Εὐρώπῃ· »μέτα δὲ Λοκροὶ, ἐν δὲ Χάλαιον πόλις, ἐν δὲ Οἰανθὴ πόλις.« Libri ἐν δὲ οἱ Ἀνθήπολοι, quod facillime corrigitur. Thucydides Locrorum Ozolarum urbes sibi vicinas recenset has (III, 101): Amphissam (quam cum Euanthide memorat Scylax), Myonenses, Ipnenses, Messapios, Tritaeenses, Chalaeos, Tolophonios, Hessios, Oeanthenses. Chalaeum cum Euanthia memorat Ptolemaeus (III, 15). Hic quoque ab oriente occidentem versus pergere videmus Hecataeum.

84.

St. B. *Φωκίς*, *χώρα περὶ τὸν Παρνασσόν· Ἑκ. Εὐρ. ἀπὸ Φώκου τινός.* Phocus filius Ornyti, Sisyphi nepos, Corinthius (Scymn. 485). Phoci mentionem ex ipso Hecataeo esse petitam, patet e fr. 86.

85.

St. B. *Κρῖσα*, *πόλις Φωκίδος· Ἑκ. Εὐρ. ἀπὸ Κρίσου Φώκου υἱοῦ.* Phoci filios Asius poeta epicus recensuit Panopeum et Crisum (Paus. II, 29, 4).

86.

Eustath. Il. II, 520: *Κρῖσα δὲ πεδίον καὶ πόλις ἐν Λοκροῖς ἢ ἐν Δελφοῖς ἀπὸ Κρίσου τινὸς τυράννου, ἢ ὡς Ἑκαταῖος φησιν, παιδὸς Φώκου.*

87.

St. B. *Χαιρώνεια*, *πόλις πρὸς τοῖς ὅροις Φωκίδος. Ἑκ. Εὐρώπῃ· „ἐν δὲ Χαιρωνείᾳ πόλις . . . τὸ πρῶτον κέκληται . . . ἀπὸ Χαίρωνος.“* Manifesto haec sunt mutilata, sententia autem inde restitui potest, quod postea dicit Stephanus, urbem prius Arnen vocatam fuisse et sic quidem apud Homerum (Il. II, 507), quod ex Hecataeo videtur repetivisse, qui ita scripserit: X. *πόλις, ἣ τὸ πρῶτον κέκληται Ἄρνη, ὕστερον δὲ Χαιρώνεια ἀπὸ Χαίρωνος.* Chaeronem Hellanicus Apollinis et Therus filium dixit (Steph. ib.).

88.

St. B. *Κορώνεια*, *πόλις Βοιωτίας· Ἑκ. Εὐρ. ἀπὸ Κορώνου τοῦ Θερσάνδρου.*

89.

St. B. *Γέφυρα*, πόλις Βοιωτίας· τοὺς αὐτοὺς δέ φασι καὶ Ταναγραίους, ὡς Στράβων καὶ Ἑκαταῖος. Locus Strabonis est IX, p. 619. Cf. Herod. V, 57.

90.

St. B. *Κόρινθος*, πόλις ἔσω τοῦ ἰσθμοῦ τῆς Πελοποννήσου. Ἑκ. Εὐρ. ἡ αὐτὴ ἐκαλεῖτο Ἔφυρα ἀπὸ Ἐφύρας τῆς Μύρμηκος τῆς Ἐπιμηθέως γυναικός. Cf. Schol. Apollon. IV, 1212.

91.

Strab. VIII, 524. Ἑκαταῖος δὲ ὁ Μιλήσιος ἑτέρους λέγει τῶν Ἠλείων τοὺς Ἐπείους· τῷ γοῦν Ἡρακλεῖ συστρατεῦσαι τοὺς Ἐπειοὺς ἐπὶ Αὐγείαν καὶ συνανελεῖν αὐτῷ τόν τε Αὐγείαν καὶ τὴν Ἦλιν, φησὶ δὲ καὶ τὴν *Δύμην* Ἐπειΐδα καὶ Ἀχαΐδα. Reliqua horum pertinent ad Historias Hecataei (cf. fr. 348), quae vero de Dyme tradidit, vix omittere potuit in descriptione Achaiae.

92.

St. B. *Μήκιστον*, πόλις Τριφυλίας· Ἑκ. Εὐρ. ἔστι καὶ ἄλλη τῆς Ἤλιδος. Hecataeus utitur forma Ionica. Stephanus s. v. *Μάκιστος* eandem dicit urbem Cauconum in Triphylia conditam a Macisto fratre Phrixi, qui ipse urbem *Phrixam* condiderit, sitam in monte ab orientali parte Lepreaticae, stadia triginta distantem ab Olympia, in Arcadiae finibus. Ita Pherecydes (Steph. Φρίξα) et fortasse nonnulla etiam Hecataeus. Praeterea

haud dubie *Psophidem* memoravit, cuius mentionem habuit in secundo libro Genealogiarum (fr. 344. a Steph. *Ψωφίς*). *Tegeae* meminit Hecataeus in narratione fabularum de Auge et Hercule (Paus. VIII, 4, 9, v. fr. 345), *Taenari* in fabulis de Hercule et Cerbero (Paus. III, 25, 5. v. fr. 346).

93.

St. B. *Ἀγάμεια* -- *λέγεται δὲ Μαντίνη κατὰ συναλοιφὴν παρ' Ἑκαταίῳ·* Praeter has Peloponnesi urbes citantur ex Hecataeo etiam *Oene* Argolica, quam alii Oenoen dicunt, e primo Historiarum (fr. 343) libro, et *Mycenae* (fr. 360) cuius nomen inde derivaverit, quod Perseus ibi gladii *μυκῆν* amisisset. Universam Peloponnesum ante Graecos Hellenes a barbaris habitatam fuisse dixit Hecataeus (fr. 356).

94.

St. B. *Θορικός*, *δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς· Ἑκαταῖος δὲ πόλιν αὐτήν φησιν.* Codd. *τὴν πόλιν.* — Thoricus in orientali Atticae litore prope abest a Sunio. Praeterea *Hymetti* meminisse novimus Hecataeum in Historiis (Herod. VI, 137).

95.

St. B. *Ἑλένη νῆσος τῆς Ἀττικῆς· Ἑκ. Εὐρ. ἐκεῖ γὰρ ἀποβῆναί φασι τὴν Ἑλένην μετὰ τὴν ἅλωσιν Ἰλίου.* Sita erat e regione Sunii et Thorici, aspera et deserta, in longitudinem sexaginta stadiorum extensa, propterea

Macris vocata (Steph. ib. Strab. IX, p. 612; Paus. I, 35, 1). Memorat insulam Scylax (59).

96 (?).

Prope Helenam sita erat insula *Phacussa*, de qua v. fr. 281.

97.

St. B. Ὑδρέα, νῆσος πρὸς τῇ Τροιζῆνι· Ἑκ. Εὐρ. Her. III, 59. Paus. II, 34, 9. Hesychio dicitur insula Dolopum. *Cimoli* insulae mentionem vide apud Siden, fr. 250.

98.

St. B. Κόρσεαι, νῆσος τῆς Ἰωνίας, ἀντικρὺ Σάμου· Ἑκ. Εὐρ. Ἡρωδιανὸς Κορσία, διὰ τοῦ ι. Straboni (XIV, p. 943) Corsiae, Plinio (V, 31, 37) Corseae, ut Hecataeo. Inter Samum et Corseas iacet Icaria. Quod hanc non in Asiae descriptione, sed in Europa, recensuit Hecataeus, possumus mirari, est tamen non dubium, cum etiam in Chio, in Oenussis et in Mytilena Europae nomen additum sit. Asiae adnumeratur sola Lade. Videtur Hecataeus in descriptione Europae omnes Aegaei maris insulas recensuisse, sed Lade divelli non poterat a Mileto, abs qua proxime abest.

99.

St. B. Χίος, ἐπιφανεστάτη νῆσος τῶν Ἰώνων, ἔχουσα καὶ πόλιν ὁμώνυμον. Ἑκ. Εὐρώπῃ· »Χῖοι κατὰ Ἐρυθράς, ἐν δὲ πόλις Χίος ἀπὸ Χίου τοῦ Ὠκεανοῦ ἢ ἀπὸ τῆς χιόνος τῆς ἐκεῖ γενομένης πολλῆς, ἢ ἀπὸ νύμφης τῆς Χιόνης.« Codd. Χιόνος.

100.

St. B. *Οἰνοῦσσαι*, νῆσος τῇ Χίῳ προςεχής· Ἑκ. Εὐρ. Insulae Oenussae, quas plures memorat Herodotus (I, 165, cf. Thuc. VIII, 24) sitae sunt mediae inter Chium litusque Lydiae.

101.

St. B. *Μυτιλήνη*, πόλις ἐν Λέσβῳ μεγίστη· Ἑκ. Εὐρ. ἀπὸ Μυτιλήνης τῆς Μάκαρος θυγατρὸς ἢ Πέλοπος. Cf. Diod. V, 57. Codd. Καίσαρος pro Μάκαρος.

102.

St. B. *Λῆμνος*, νῆσος πρὸς τῇ Θρᾴκῃ, δύο πόλεις ἔχουσα, Ἡφαιστίαν καὶ Μύριναν, ὡς Ἑκ. Εὐρ. ἀπὸ τῆς μεγάλης λεγομένης θεοῦ, ἣν Λῆμνόν φασι. ταύτῃ δὲ καὶ παρθένους ἔθυον. De insula et urbibus v. Ptol. III, 13.

103.

St. B. *Ἡφαιστία*, πόλις ἐν Λήμνῳ· Ἑκ. Εὐρ. Erat urbs mediterranea (Ptol. l. c.) in orientali insulae parte.

104.

St. B. *Μύρινα*, πόλις ἐν Λήμνῳ· Ἑκ. Εὐρ. ἔστι καὶ τῆς Αἰολίδος ἄλλη, ἀπὸ Μυρίνης ἀμφότεραι ἢ ἀπὸ Μυρίνου. Incertum est, quantum ex his Hecataeo debeatur, solet vero hic memorare urbis cuiusvis originem. Myrina erat filia Crethei, uxor Thoantis.

Schol. Apoll. Rhod. I, 601. Sita est in occidentali insulae litore. De urbe Aeolidis cf. fr. 211.

105.

St. B. *Χαλκίς*, πόλις Εὐβοίας. Ἑκ. Εὐρώπῃ· »Χαλκὶς πόλις ἐστὶν, ἣ πρότερον Εὔβοια προσηγορεύθη. ἐκλήθη δὲ ἀπὸ Κωμωης τῆς Χαλκίδος καλουμένης θυγατρὸς Ἀσωποῦ.« Nomen nymphae incertum, vel Comoe, vel Combe, ut Eust. Il. II, 537.

106.

Paus. IV, 2, 3. Ἑκ. δὲ ὁ Μιλήσιος ἐν Σκίῳ μοίρᾳ τῆς *Ἐρετρικῆς* ἔγραψεν εἶναι Οἰχαλίαν. μοίρᾳ Facius et Bekker. codd. μοῖραν. Scius regio ignota. Ne de libro quidem, ubi haec dixerit Hecataeus, constat.

107.

St. B. *Ὀρέστη*, πόλις Εὐβοίας· Ἑκ. Εὐρώπης περιηγήσει. Cf. Hesych. Ὀρέστη, χωρίον Εὐβοίας.

108.

b. μαίας ἐπὶ Κόσυρον ἡμέρας. Ἀπὸ Ἑρμαίας ἄκρας πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα, μικρὸν ἀπὸ Ἑρμαίας εἰσὶ νῆσοι τρεῖς μικραὶ κατὰ τοῦτο, ὑπὸ Καρχηδονίων οἰκούμεναι· Μελίτη πόλις καὶ λιμὴν, Γαῦλος πόλις, Λαμπάς· αὕτη πύργους ἔχει δύο ἢ τρεῖς. Ἀπὸ δὲ Κοσύρου ἐπὶ Λι-
c. λύβαιον ἀκρωτήριον Σικελίας πλοῦς ἡμέρας μιᾶς. Μετὰ

110. Φιάλων codd. Fortasse Φοινίκων. Gail.

litus prominens cum isthmo. Praetervectio a flumine ex hoc loco usque ad Carthaginem est diei unius et dimidiae. Carthaginiensium autem regio est in sinu. ‖

110. Post Isthmum est *Carthago*, urbs Phialon cum portu. Praetervectio vero ab Hermaeo usque ad Carthaginem est dimidiati diei. Hermaeo promontorio adiacent insulae Pontia et Cosyrus. Navigatio ab Hermaeo usque ad Cosyrum est diei. Ultra Hermaeum promontorium, paululum versus solem orientem, tres ei adiacent insulae exiguae, a Carthaginiensibus habitatae; Melita urbs cum portu, Gaulus urbs, Lampas, in hac turres duae vel tres. A Cosyro vero ad Lilybaeum promontorium Siciliae, navigatio diei unius, Post Cartha-

Καρχηδόνα Ἰτύκη πόλις καὶ λιμήν. Παράπλους δὲ ἀπὸ Καρχηδόνος εἰς Ἰτύκην μιᾶς ἡμέρας. Ἀπὸ Ἰτύκης εἰς Ἵππου ἄκραν, Ἵππου πόλις, καὶ λίμνη ἐπ' αὐτῇ ἐστὶ, καὶ νῆσοι ἐν τῇ λίμνῃ, καὶ περὶ τὴν λίμνην πόλεις ἐν ταῖς νήσοις αἵδε· Ψέγις πόλις, καὶ ἀπαντίον αὐτῆς νῆσοι Ναξικαὶ πολλαὶ, Πιθηκοῦσαι καὶ λιμήν. Κατ' d. ἐναντίον αὐτῶν καὶ νῆσος καὶ πόλις ἐν τῇ νήσῳ Εὔβοια, Θάψα καὶ πόλις καὶ λιμὴν, Καύκακις πόλις καὶ λιμὴν, Σίδα πόλις, Ἰουλίου ἄκρα πόλις καὶ λιμὴν, Ἑβδόμος πόλις καὶ λιμὴν, Ἀκίον νῆσος, πόλις καὶ λιμὴν ἔπεστι. Ψαμαθὸς νῆσος, πόλις καὶ λιμὴν καὶ κόλπος. e. Ἐν δὲ τῷ κόλπῳ Βαρτὰς νῆσος καὶ λιμὴν, Χάλκα πόλις ἐν τῷ ποταμῷ, Ἀρύλων πόλις, Μὴς πόλις καὶ λιμὴν, Σίγον πόλις ἐν τῷ ποταμῷ, καὶ πρὸ τοῦ ποτα- Pag. 51.

ginem Utica urbs cum portu. Praeternavigatio a Carthagine Uticam diei unius. Ab Utica ad Equi promontorium Equi urbs, et palus ad eam est, insulaeque in ea, et urbes circa paludem in insulis hae sunt: Psegas urbs, ex adverso eius multae insulae Naxicae, Pithecusae cum portu. Ex adverso earum est insula, in qua est Euboea civitas, Thapsa cum urbe et portu, Caucacis urbs cum portu. Sida urbs, Iulium promontorium, urbs et portus, Hebdomus urbs cum portu, Acium insula, in qua urbs et portus, Psamathus insula, urbs, portus, et sinus. In hoc sinu est Bartas insula cum portu, Chalca urbs in fluvio, Arylon urbs, Mes urbs cum portu, Sigum urbs in fluvio, cui obiacet insula

μοῦ νῆσος Ἄκρα, πόλις Μεταγώνιον καὶ λιμὴν, Ἄκρος ἡ πόλις, καὶ ὁ κόλπος ἐν αὐτῇ, ἔρημος νῆσος Δρίναυπα ὄνομα, Ἡρακλεία στήλη, ἐν Λιβύῃ ἄκρα, Ἀπανιλύη πό-
f. λις ἐν ποταμῷ καὶ ἀντίον αὐτῆς τὰ Γάδειρα νῆσος. Ἀπὸ Καρχηδόνος ταύτη ἐστὶν ἐφ' Ἡρακλέους στήλας τοῦ καλλίστου πλοῦ παράπλους ἡμερῶν ἑπτὰ καὶ νυκτῶν ἑπτά. Γάδειρά εἰσιν νῆσοι αὗται πρὸς τῇ Εὐρώπῃ. Τούτων ἡ ἑτέρα πόλιν ἔχει, καὶ Ἡράκλειαι στῆλαι κατὰ ταύτας· ἡ μὲν ἐν τῇ Λιβύῃ ταπεινή· ἡ δὲ ἐν τῇ Εὐρώπῃ ὑψηλή. Αὗται δέ εἰσιν ἄκραι καταντικρὺ ἀλλήλων,
g. διέχουσι δὲ αὗται ἀπ' ἀλλήλων πλοῦν ἡμέρας. Παράπλους Λιβύης ἀπ' Αἰγύπτου τοῦ Κανώβου στόματος

e. *Μεταγώνιον καὶ λιμὴν* scripsit Gronov. Cf. Hec. fr. 324. Codd. *Με.... λιμήν.*

Acra, urbs Metagonium cum portu. Acrus urbs, in qua est sinus, deserta insula quae appellatur Drinaupa, Herculea columna, Libyae promontorium, Apanilya urbs in fluvio. Ex adverso huius sunt Gades insulae. A Carthagine hucusque ad columnas Herculeas quam prosperrime praetervehuntur diebus et noctibus septem. Gades vero hae insulae ad Europam pertinent. Harum una urbem habet. In his quoque sunt columnae Herculeae: ea quidem, quae in Libya, humilis: Europaea vero excelsa est. Ex adverso sibi positi sunt hi montes: distantque inter se diei navigatione. Praetervectio Libyae ab ostio Canobi, quod in Aegypto, usque ad

μέχρι Ἡρακλείων στηλῶν, τιθεμένου τοῦ λογισμοῦ κατὰ ταὐτὰ, ἅπερ ἐν Ἀσίᾳ καὶ Εὐρώπῃ γέγραπται, κατὰ τοὺς κόλπους κύκλῳ περιπλέοντι ἡμερῶν οε',δ'. Ὅσα γέγραπται πολίσματα ἢ ἐμπόρια ἐν τῇ Λιβύῃ ἀπὸ τῆς Σύρτιδος τῆς παρ' Ἑσπερίδας μέχρι Ἡρακλείων στηλῶν ἐν Λιβύῃ, πάντα ἐστὶ Καρχηδονίων. Pag. 52.

Μετὰ δὲ Ἡρακλείας στήλας εἰς τὸ ἔξω πλέοντι, ἔχοντι τὴν Λιβύην ἐν ἀριστερᾷ κόλπος ἐστὶ μέγας, μέχρι Ἑρμαίας ἄκρας. Ἔστι γὰρ καὶ ἐνταῦθα Ἑρμαία ἄκρα. Κατὰ δὲ μέσον τὸν κόλπον κεῖται Ποντίον τόπος καὶ πόλις. Περὶ δὲ τὴν πόλιν λίμνη κεῖται μεγάλη, ἐν δὲ τῇ λίμνῃ ταύτῃ κεῖνται νῆσοι πολλαί. Περὶ δὲ τὴν λίμνην πέφυκε κάλαμος, καὶ κύπειρος, καὶ φλεὼς III. b.

g. ταὐτὰ em. Gronov. Codd. ταῦτα.
ἅπερ ἐν Ἀσίᾳ. Codd. ἐν περασίᾳ. Voss. τὰ περὶ Ἀσίας. Gronov. ὥςπερ Ἀσία. Gail. ὥςπερ ἐν Ἀσίᾳ.
III. b. κύπειρος cett. em. Salmas. Codd. κύπρος καὶ φλοιὸν καὶ δρύον.

Herculeas columnas, eo modo si numeres, quo supra in Asia et Europa scriptum est, circumnaviganti sinus est dierum 75¼. Omnia vero oppida et emporia ante memorata in Libya, a Syrti quae ad Hesperidas, usque ad columnas Herculeas quae in Libya, sunt Carthaginiensium. || III. Post Herculeas columnas extra navigantibus, Libyamque in sinistra relinquentibus, occurrit sinus magnus usque ad promontorium Hermaeum. Est enim etiam ibi promontorium Hermaeum. At medio in sinu est Pontium locus et urbs. Circa urbem vero est lacus magnus, insulaeque in eo sunt complures. Circa lacum

καὶ θρυόν. αἱ δὲ ὄρνιθες αἱ Μελεαγρίδες ἐνταῦθά εἰσιν, ἄλλου δὲ οὐδαμοῦ, ἂν μὴ ἐντεῦθεν ἐξαχθῶσιν. Τῇ δὲ λίμνῃ ταύτῃ ὄνομα Κηφησίας, τῷ δὲ κόλπῳ Κώτης. Ἔστι δὲ Ἡρακλείων στηλῶν καὶ Ἑρμαίας ἄκρας
c. ἐν τῷ μεταξύ. Ἀπὸ δε τῆς Ἑρμαίας ἄκρας ἕρματα τέταται μεγάλα, ἀπὸ δὲ τῆς Λιβύης ἐπὶ τὴν Εὐρώπην, οὐχ ὑπερέχοντα τῆς θαλάττης. Ἐπικλύζει δὲ ἐπ' αὐτὰ ἐνιαχῇ. Τέταται δὲ τὸ ἕρμα ἐπὶ ἑτέραν ἄκραν τῆς Εὐρώπης τὸ καταντικρύ. Τῇ δὲ ἄκρᾳ ταύτῃ ὄνομα
d. Ἱερὸν ἀκρωτήριον. Ἀπὸ δὲ τῆς Ἑρμαίας ἄκρας ποταμός ἐστιν Ἄνιδος. Ἐξίησι δὲ οὗτος εἰς λίμνην μεγάλην.
Pag. 53. Μετὰ δὲ Ἄνιδον εἶτά ἐστιν ἄλλος ποταμὸς μέγας Λίξος,

αἱ Μελεαγρίδες. — Codd. λιμελελιφίδες. Salm. Μελεαγρίδες.
ἐξαχθῶσιν em. Salmas. Codd. ἐξαχέωσιν.
d. Ἄνιδον εἶτα. Codd. Ἀνιδίευτα.

nascitur arundo, cyperus, stoebe et iuncus. Meleagrides aves ibi degunt, alibi vero nusquam nisi inde exportatae. Paludi vero huic nomen Cephesias, sinui vero Cotes. Est autem in medio columnarum Herculis et Hermaei promontorii. Ultra promontorium Hermaeum magna extenduntur scopulorum scamna a Libya usque in Europam, nusquam exstantia ex fluctibus, et aestus iis efficitur in nonnullis locis. Tenditur hoc scamnum ad aliud Europae promontorium illi adversum. Vocatur autem id promontorium sacrum. Post Hermaeum promontorium est amnis Anidus. Effluit autem hic in lacum magnum. Post Anidum porro est alius fluvius

καὶ πόλις Λιβύων ἐστὶ πέραν τοῦ ποταμοῦ καὶ λιμήν. Μετὰ δὲ Λίξον Κράβις ποταμὸς καὶ λιμὴν, καὶ πόλις Φοινίκων Θυμιατηρία ὄνομα. Ἀπὸ Θυμιατηρίας εἰς Σολόεσαν ἄκραν, ἣ ἀνέχει μάλιστα εἰς τὸν πόντον. Τῆς e.
δὲ Λιβύης πᾶσα αὕτη ἡ χώρα ὀνομαστοτάτη καὶ ἱερωτάτη. Ἐπὶ δὲ τοῦ ἀκρωτηρίου τῆς ἄκρας ἔπεστι βωμὸς μέγας, Ποινῆς, Ποσειδῶνος. Ἐν δὲ τῷ βωμῷ εἰσὶ γεγραμμένοι ἀνδριάντες, λέοντες, δελφῖνες· Δαίδαλον δὲ φασὶ ποιῆσαι. Ἀπὸ δὲ Σολόεντος ἄκρας ποταμός f.
ἐστιν, ᾧ ὄνομα Ξιῶν. Περὶ τοῦτον τὸν ποταμὸν περιοικοῦσιν Αἰθίοπες ἱεροί. Κατὰ δὲ ταῦτα νῆσός ἐστιν, ᾗ ὄνομα Κέρνη. Παράπλους δὲ ἀπὸ Ἡρακλείων στηλῶν ἐπὶ Ἑρμαίαν ἄκραν ἡμερῶν δύο. Ἀπὸ δὲ Ἑρ-

Θυμιατηρία em. Voss. e Steph. B. Codd. Θυμιατριάς.
Θυμιατηρίας em. Voss. Codd. Θυμιατηριάς.

magnus Lixus, et Phoenicum urbs Lixus, aliaque ultra fluvium est urbs cum portu. Post Lixum Crabis fluvius cum portu, et urbs Phoenicum quae Thymiateria appellatur. A Thymiateria Soloentum promontorium occurrit, quod maxime in mare prominet. Libyae autem haec regio tota est celeberrima et sacerrima. In summo promontorio est ara magna, Vindictae et Neptuno consecrata. In ara autem expressae sunt imagines, leones, delphines: a Daedalo ea confecta esse aiunt. Post Soloentem promontorium est fluvius qui appellatur Xion. Hunc fluvium circumhabitant Aethiopes sacri. Circa haec est insula, Cerne appellata. Praetervectio vero a columnis Herculeis usque ad Hermaeum promontorium

μαίας ἄκρας εἰς Σολόεντα. ἄκραν παράπλους ἡμερῶν τριῶν. Ἀπὸ δὲ Σολόεντος εἰς Κέρνην παράπλους ἡμερῶν ἑπτά. Σύμπας δὲ ὁ παράπλους οὗτός ἐστι ἀπὸ Ἡρακλείων στηλῶν εἰς Κέρνην νῆσον ἡμερῶν δεκαδύο.
g. Τῆς Κέρνης δὲ νήσου τὰ ἐπέκεινα οὐκ ἔτι ἐστὶ πλωτὰ
Pag. 54. διὰ βραχύτητα θαλάττης, καὶ πηλὸν, καὶ φύκος. Ἔστι δὲ τὸ φύκος τῆς δοχμῆς τὸ πλάτος, καὶ ἄνωθεν ὀξὺ,
h. ὥστε κεντεῖν. Οἱ δὲ ἔμποροί εἰσι μὲν Φοίνικες. Ἐπὰν καὶ ἀφίκωνται εἰς τὴν νῆσον τὴν Κέρνην, τοὺς μὲν γαύλους ἐφορμίζουσιν, ἐν τῇ Κέρνῃ σκηνὰς ποιησάμενοι αὐτοῖς· τὸν δὲ φόρτον ἐξελόμενοι αὐτοὶ διακομίζουσι ἐν
i. μικροῖς πλοίοις εἰς τὴν ἤπειρον. Εἰσὶ δὲ οὗτοι Αἰθίο-

h. γαύλους em. Salmas. Codd. ταύδους. ἐφορμίζουσιν em. Gronov. Codd. ἐσθ᾽ ὁρμίζουσι. Salm. καθορμίζουσιν.

est dierum duorum. Ab Hermaeo promontorio ad Soloentem promontorium est praetervectio dierum trium. A Soloente vero ad Cernen praetervectio dierum septem. Omnis autem praetervectio ab Herculeis columnis ad Cernen insulam est dierum duodecim. Quae sunt ultra Cernen insulam, non amplius navigabilia sunt propter brevitatem maris, et coenum, et algam. Est vero haec alga palmi latitudine, superne in acutum desinens, adeo ut pungat. Institores autem sunt Phoenices. Hi cum venerint in insulam Cernen, gaulos suos eo appellunt et ibi tentoria figunt: onus vero desumtum ipsi minoribus navigiis in continentem portant. Ii autem, cum quibus negotiantur, sunt Aethiopes. Vendunt vero mu-

πες, πρὸς οὓς διατίθενται. Πωλοῦσι δὲ προς δέρματα ἐλάφων, καὶ λεόντων, καὶ παρδαλέων, καὶ δέρματα ἐλεφάντων μετ' ὀδόντων, καὶ τῶν ἡμερῶν βοσκημάτων. Οἱ Αἰθίοπες χρῶνται κοσμοστίκτοις, καὶ ἐκπώμασι τοῦ ἐλέφαντος φιάλαις· καὶ αἱ γυναῖκες αὐτῶν χρῶνται κοσμίῳ ψελίοις τοῦ ἐλέφαντος· χρῶνται δὲ καὶ πρὸς τοὺς ἵππους ἐλεφαντίνῳ κόσμῳ. Εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ Αἰθίοπες k. μέγιστοι ἀνθρώπων πάντων, ὧν ἡμεῖς ἴσμεν, μείζους ἢ τετραπήχεις. Εἰσὶ δέ τινες αὐτῶν καὶ πενταπήχεις, καὶ πωγωνοφόροι εἰσὶ, καὶ κομῆται, καὶ κάλλιστοι πάντων ἀνθρώπων οὗτοί εἰσι. καὶ βασιλεύει αὐτῶν οὗτος, ὃς ἂν ᾖ μέγιστος. Εἰσὶ καὶ ἱππηλάται, καὶ ἀκοντισταὶ, καὶ τοξόται, καὶ χρῶνται τοῖς βέλεσιν πεπυρακτωμέ-

i. μετ' ὀδόντων em. Voss. Codd. καὶ ὀδόντων. Reines. καὶ ὀδόντας.
k. μέγιστοι em. Voss. Codd. μεστοί.

tando sua pellibus cervorum et leonum et pardalium, pellibus insuper elephantum cum dentibus et cicurum gregum. Aethiopes utuntur vestibus variegatis eburneisque phialis pro poculis: mulieres pro ornatu utuntur armillis eburneis. Etiam equos suos ebore ornant. Sunt autem hi Aethiopes omnium hominum nobis cognitorum maximi, maiores quam quatuor cubitorum. Quidam etiam inter eos sunt quinque cubitorum, et sunt barbati et comati, omnium hominum pulcherrimi: ac regit ipsos, quicunque apud eos est maximus. Sunt optimi equites, iaculatores et sagittarii, et iaculis utuntur ignitis. Phoenicum vero institores portant ipsis unguenti

l. νοις. Οἱ δὲ Φοίνικες ἔμποροι εἰςάγουσιν αὐτοῖς μύρον λίθον Αἰγυπτίαν, ἄπρους ἐξαράκτους, κέραμον Ἀτ-
Pag. 55. τικὸν καὶ χοῦς. Τὰ πλάσματά ἐστιν ὤνια ἐν τοῖς Χουσὶ τῇ ἑορτῇ. Εἰσὶ δὲ οἱ Αἰθίοπες οὗτοι κρεοφάγοι, γαλακτοπόται, οἶνον δὲ ποιοῦσι πολὺν ἀπὸ ἀμπέλων· τὸν
m. δὲ καὶ αὐτοὶ οἱ Φοίνικες ἄγουσιν. Ἔστι δὲ αὐτοῖς καὶ πόλις μεγάλη, πρὸς ἣν οἱ Φοίνικες εἰςπλέουσιν οἱ ἔμποροι. Λέγουσι δέ τινες τούτους τοὺς Αἰθίοπας παρήκειν, συνεχῶς οἰκοῦντας ἐντεῦθεν εἰς Αἴγυπτον, καὶ εἶναι ταύτην θάλατταν συνεχῆ· ἀκτὴν δὲ εἶναι τὴν Λιβύην.

110. ΔΙΑΦΡΑΓΜΑ διὰ τῆς θαλάττης τῆς Εὐρώπης εἰς τὴν Ἀσίαν ἐπιεικῶς εὐθὺ κατ' ὀρθόν.

a. Ἄρχεται δὲ τὸ διάφραγμα ἀπὸ Εὐρίπου τοῦ κατὰ

l. γαλακτοπόται em. Voss. Codd. γαλακτοπάται.

Aegyptii lapidem, apros castratos, tegulas Atticas et vasa et congios. Fictilia vasa in Congiorum festo venduntur. Edunt vero hi Aethiopes carnem, et lac potant; vinum vero e vineis multum conficiunt: hoc praeterea a Phoenicibus eo defertur. Habent etiam civitatem magnam, ad quam Phoenicum mercatores navigant. Inquiunt nonnulli, istos Aethiopes continenter habitantes pertingere inde usque ad Aegyptum, et id mare esse contiguum: Libyam vero esse peninsulam.

112. *Diaphragma per mare Europaeum in Asiam recte propemodum, lineaque directa.* Incipit vero dia-

Χαλκίδα· καί ἐστιν ἐπὶ Γεραιστὸν στάδια ρ΄ κοινῇ. Ἀπὸ Γεραιστοῦ ἐπὶ Παιώνιον τῆς Ἄνδρου στάδια π΄. Ἀπὸ τῆς Ἄνδρου ἐπὶ τὸν αὐλῶνα στάδια σπ΄. Τοῦ αὐλῶνος διάπλους εἰς Τῆνον στάδια ιβ΄. Αὐτῆς δὲ τῆς νήσου ἐπὶ τὸ ἀκρωτήριον τὸ κατὰ Ῥηναίας στάδια ρν΄. Τοῦ δὲ διάπλου εἰς Ῥήναιαν στάδια μ΄. Αὐτῆς δὲ b. *Ῥηναίας καὶ τοῦ διάπλου εἰς Μύκονον στάδια μ΄. Ἀπὸ δὲ Μυκόνου διάπλους ἐπὶ τοὺς Μελαντίους σκοπέλους προαριστιδίου μικρῷ ἐλάττων σταδίων μ΄. Ἀπὸ δὲ Μελαντίων σκοπέλων πλοῦς εἰς Ἴκαρον προαριστίδιος. Αὐτῆς δὲ τῆς Ἰκάρου στάδια τ΄ ἐστὶ μῆκος. Ἀπὸ Ἰκα-* c.

112. a. *Τῆνον* em. Salmas. Codd. *Τεῖνον*.
Ῥηναίας. Codd. *Ῥήναιαν*.
b. *Μύκονον* — *Μυκόνου* em. Voss. Codd. *Μύκινον* — *Μυκίνου*.
ἐστὶ em. Voss. Codd. *ἐπὶ*.

phragma ab Euripo, qui ad Chalcidem est: unde ad Geraestum stadia sunt quasi septem. A Geraesto ad Paeonium Andri stadia octoginta. Ab Andro vero usque ad fretum stadia 280. A freto traiectus in Tenum stadiorum duodecim. Ipsius vero insulae usque ad promontorium Rhenaeae oppositum longitudo stadiorum 150: traiectus vero in Rhenaeam stadiorum quadraginta. Ipsius vero Rhenaeae et traiectus in Myconum stadia quadraginta. A Mycono traiectus est ad Melantios scopulos paulo minor antemeridiano, stadiis circiter quadraginta. A Melantiis scopulis navigatio in Icarum antemeridiana. Ipsius Icari longitudo est stadiorum 300.

Pag. 56. ρου πλοῦς εἰς Σάμον προαριστίδιος. Αὐτῆς δὲ Σάμου στάδια σ'. Ἐκ Σάμου εἰς Μυκάλην τοῦ διάπλου στάδια ζ' τὸ πᾶν. Ἐὰν ἐκ Σάμου πλέωσι πρὸ ἀρίστου στάδια β', τὸ μὴ προσλογιζομένῳ τοῦ . . . . πλοῦς . . .
d. . . . . . . ἕτερον διάφραγμα ὀρθὸν κατ' εὐθὺ . . . . . . ἕως Κυθήρων στάδια λ'. Αὐτῶν δὲ Κυθήρων μῆκος στάδια ρ'. Εἰς Αἰγιλίαν πλοῦς προαριστίδιος . . . . . .
e. Κρήτης αὐτῆς μῆκος, στάδια βφ'. Ἀπὸ Κρήτης εἰς Κάρπαθον στάδια [ρ']. Αὐτῆς Καρπάθου μῆκός στάδια ρ'. Εἰς Ῥόδον ἀπὸ Καρπάθου πλοῦς στάδια ρ' . . . . Αὐτῆς Ῥόδου μῆκος στάδια χ'. Ἀπὸ Ῥόδου εἰς τὴν

c. πρὸ ἀρίστου em. Salmas. Codd. προαρίστου.
d. Κυθήρων — Κυθήρων — Αἰγιλίαν em. Voss. Codd. Καθήρων — Καθήρων — Αἴγιναν.
προαριστίδιος . . . . Videtur excidisse: Ἀπὸ Αἰγιλίας εἰς Κρήτην πλοῦς προαριστίδιος.
e. [ρ'] Codd. Restituendum videtur ύ.
ρ' . . . Restituendum videtur ρμ'.

Ab Icaro navigatio in Samum est antemeridiana. Sami longitudo stadiorum ducentorum. E Samo in Mycalen traiectus stadiorum omnino est septem. Si ante meridiem e Samo navigent per stadia duo ratione non habita . . . . aliud diaphragma rectum . . . . . usque ad Cytheram stadia triginta. Cytherae vero longitudo stadiorum centum. Ad Aegiliam navigatio antemeridiana . . . . Cretae ipsius longitudo est stadiorum 2500. A Creta in Carpathum stadia [quadraginta]. Ipsius Carpathi longitudo stadiorum centum. A Carpatho usque ad Rhodum stadiorum centum [et quadra-

Ἀσίαν στάδια ρ'. Ἔστι τοῦ διάπλου τὸ διάφραγμα στάδια ,δυό.

ΜΕΓΕΘΗ ΝΗΣΩΝ. Μεγίστη Σαρδώ· δευτέρα Σικελία· τρίτη Κρήτη· τετάρτη Κύπρος· πέμπτη Εὔβοια· ἕκτη Κύρνος· ἑβδόμη Λέσβος· ὀγδόη Ῥόδος· ἐννάτη Χίος· δεκάτη Σάμος· ἑνδεκάτη Κόρκυρα· δωδεκάτη Κάσος· τρισκαιδεκάτη Κεφαληνία· τεσσαρεσκαιδεκάτη Νάξος· πεντεκαιδεκάτη Λῆμνος· ὀκτωκαιδεκάτη Αἴγινα· ἐννεακαιδεκάτη Ἴμβρος· εἰκοστὴ Θάσος.

e. ,δυό. — Codd. δύο.

ginta] navigatio. Ipsius Rhodi longitudo stadiorum 600. A Rhodo in Asiam stadia centum. Est vero huius traiectus diaphragma stadiorum 4470. || 113. *Magnitudines insularum.* Maxima est Sardinia, deinde Sicilia, tertia Creta, quarta Cyprus, quinta Euboea, sexta Corsica, septima Lesbus, octava Rhodus, nona Chius, decima Samus, undecima Corcyra, duodecima Casus, decima tertia Cephalenia, decima quarta Naxus, decima quinta Lemnus, decima octava Aegina, decima nona Imbrus, vigesima Thasus.

DE AETATE SCYLACIS.

Veterum scriptorum de Scylace testimonia.

1. Anonymi *vita* Scylacis. *Σκύλαξ ὁ Καρυανδεὺς ἀρχαιότατος μέν ἐστιν ἀνήρ· τῶν δὲ πλείστων ἔτι μερῶν τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης καὶ τῆς ἔνδον Ἡρακλειῶν στηλῶν θαλάσσης πέρα τῶν πολλῶν ἀγνοουμένων περίπλους τῆς οἰκουμένης ἀναγράψαι προείλετο. Τὰ μὲν γὰρ τῆς ἑῴας Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδὼν δῆλα τοῖς ἀνθρώποις πάντα κατέστησε· τὰ δὲ τῶν ἑσπερίων ἐθνῶν ἡ Ῥωμαίων ἀνδρεία πολέμῳ τούτων κρατήσασα. Τῆς μὲν οὖν ἀκριβοῦς γνώσεως τῶν τόπων ἁπάντων διὰ τὰς εἰρημένας αἰτίας οὐκ ἴσχυσεν ἐφικέσθαι. Μέρη δὲ πλεῖστα καλῶς καὶ ἀκολούθως περιέπλευσεν· ὥςπερ τὸν Ἰόνιον ἤτοι Ἀδρίαν κόλπον, καὶ προςέθιγε τὴν Ἀττικὴν καὶ τὴν Πελοπόννησον πᾶσαν μετὰ τῶν ἐνοικούντων ἐθνῶν· ἔτι μὲν ἕτερα μέρη τῆς θαλάσσης καὶ τῶν προσοικούντων αὐτῇ σαφῶς παραστήσας. Δοκεῖ δέ πως καὶ αὐτὸς τῆς ἀγνοίας τῶν πλείστων τόπων τὴν βραχυλογίαν ὥςπερ ἀπολογίαν τινὰ πεποιῆσθαι, δι' ὀλίγων σφόδρα χωρίων τὰ πλεῖστα τοὺς ἐντυγχάνοντας ἢ ἅμα ζητεῖν τινὶ εἰδέναι βουλόμενος. Τῆς δὲ ἀρχαιότητος τοῦ ἀνδρὸς ἐναργὲς γνώρισμα τὸ μήτε Ἀλέξανδρον εἰδέναι τῶν Μακεδόνων βασιλέα μήτε τὸν ὀλίγον ἔμπροσθεν ἐκείνου τοῦ χρόνου. ὥςτε οὐκ*

ἄν τις ἁμάρτοι θαύματος ἄξιον ἡγούμενος τὸν ἄνδρα τῶν πλείστων ἐφικέσθαι δυνηθέντα. Αἴλιος Διονύσιος ἐν τῷ περὶ Ἀλεξανδρείας βιβλίῳ πρώτῳ φησὶν, ὅτι Δαρείῳ προςεφώνησε Σκύλαξ τὸ φρόντισμα.

2. Suidae vita Scylacis. Σκύλαξ Καρυανδεὺς (πόλις δέ ἐστι τῆς Καρίας πλησίον Ἁλικαρνασσοῦ τὰ Καρύανδα) μαθηματικὸς καὶ μουσικός. Ἔγραψε περίπλουν τῶν ἐντὸς καὶ ἐκτὸς τῶν Ἡρακλέος στηλῶν· τὰ κατὰ τὸν Ἡρακλείδην τὸν Μυλασσῶν βασιλέα· γῆς περίοδον· ἀντιγραφὴν πρὸς τὴν Πολυβίου ἱστορίαν.

3. Strab. XIV, 972: Μύνδος, καὶ μετὰ ταύτην Βαργυλία, καὶ αὕτη πόλις· ἐν δὲ τῷ μεταξὺ Καρυάνδα λίμνη καὶ νῆσος ὁμώνυμος ταύτῃ, ἣν ᾤκουν Καρυανδεῖς· ἐντεῦθεν δ' ἦν καὶ Σκύλαξ ὁ παλαιὸς συγγραφεύς.

4. Stephan. Byz. Καρύανδα: Καρύανδα πόλις καὶ λίμνη ὁμώνυμος πλησίον Μύνδου καὶ Κῶ· Ἑκαταῖος Καρυάνδαν αὐτήν φησι. Τὸ ἐθνικὸν Καρυανδεύς·, ὡς Ἀλαβανδεύς. Ἐντεῦθεν ἦν Σκύλαξ ὁ παλαιὸς λογογράφος.

5. Marcian. Heracl. epit. Artemid. et Menippi p. 63. (Hudson): Οἱ μὲν μερῶν τινῶν, οἱ δὲ τῆς ἐντὸς πάσης θαλάσσης, οἱ δὲ τῆς ἐκτὸς περίπλουν ἀναγράψαντες· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Σκύλαξ ὁ Καρυανδεὺς καὶ Βοτθαῖος· οὗτοι δὲ ἑκάτεροι διὰ τῶν ἡμερησίων μηκῶν, οὐ διὰ τῶν σταδίων τὰ διαστήματα τῆς θαλάσσης ἐδήλωσαν. Eiusdem libri meminerunt Strabo lib. XIII (cf. annot. ad §. 93), scholiastes Apollonii IV, 1215, I, 1177 (cf. ann. §. 23 et 92).

6. Rufi Festi Avieni Ora marit. 40 sqq.: Multa rerum iunximus Ex plurimorum sumta commentariis. Hecataeus istic quippe erat Milesius, Hellanicusque Lesbius, Phileas quoque Atheniensis, Caryandaeus Scylax, Pausimachus ille, prisca quem genuit Samos; Quin et Damastes nobili natus Sige.

7. Ibid. v. 370 sqq. Sed ad Columnas quidquid interfunditur Undae aestuantis, stadia septem vix ait Damastes esse. Caryandaeus Scylax Tantum patere quantus aestus Bospori est. — Hoc nusquam dixit Scylax.

8. Constantin. Porphyrogenn. Them. Armen. p. 7: de Armenia: *Οὔτε γὰρ Στράβων ὁ Γεωγράφος τῆς τοιαύτης ὀνομασίας ἐμνήσθη, καίτοι Καππαδόκης ὢν τὸ γένος ἐξ Ἀμασείας τῆς πόλεως· οὔτε Μένιππος ὁ τοὺς σταδιασμοὺς τῆς ὅλης οἰκουμένης ἀπογραψάμενος· οὔτε μὴν Σκύλαξ ὁ Καρυανδηνός· οὔτε ἄλλος τις τῶν ἱστορίαν γεγραφότων.*

9. De *Periplo Indiae* Aristot. Polit. VII, 14: *Ἐπεὶ δὲ τοῦτ' οὐν ῥᾴδιον λαβεῖν οὐδέ ἐστιν, ὥςπερ „ἐν Ἰνδοῖς" φησὶ Σκύλαξ „εἶναι τοὺς βασιλέας τοσοῦτον „διαφέροντας τῶν ἀρχομένων, φανερὸν ὅτι διὰ πολλὰς „αἰτίας ἀναγκαῖον πάντας ὁμοίως κοινωνεῖν τοῦ κατὰ „μέρος ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι."*

10. Harpocrat. *Ὑπὸ γῆς οἰκοῦντες. Λέγοι ἂν τοὺς ὑπὸ Σκύλακος ἐν τῷ περίπλῳ λεγομένους „Τρωγλοδύτας" καὶ τοὺς ὑπὸ Ἡσιόδου ἐν τρίτῳ καταλόγου Κατουδαίους ὀνομαζομένους. Ἀντιφῶν ἐν τῷ περὶ ὁμονοίας.* Idem Suidas sub eodem nomine.

11. Philostrat. vit. Apollon. Tyan. III, 14: „*Σκιάποδας*" *δὲ ἀνθρώπους ἢ „Μακροκεφάλους" ἢ ὁπόσα Σκύλακος συγγραφαὶ περὶ τούτων ᾄδουσιν οὔτε ἄλλοσέ ποι βιοτεύειν τῆς γῆς οὔτε μὴν ἐν Ἰνδοῖς.*

12. Ioann. Tzetz. Chil. VII, 144: *Καρυανδέως Σκύλακος ὑπάρχει τι βιβλίον „Περὶ τὴν Ἰνδικὴν γρά-„φον ἀνθρώπους πεφυκέναι· Οὕςπερ φασὶ Σκιάποδας καὶ „γε τοὺς Ὠτολίκνους· Ὧν οἱ Σκιάποδες πλατεῖς ἔχου-„σιν ἄγαν πόδας, Καιρῷ τῆς μεσημβρίας δὲ πρὸς γῆν „καταπεσόντες, Τοὺς πόδας ἀνατείναντες σκιὰν αὐτοῦ „ποιοῦσι. Μεγάλα δ' οἱ Ὠτόλικνοι τὰ ὦτα κεκτημένοι, „Ὁμοίως σκέπουσιν αὐτοὺς τρόπῳ τῶν σκιαδείων." Ὁ Σκύλαξ οὗτος γράφει δὲ καὶ ἕτερα μυρία Περὶ γὲ „Μον-„οφθάλμων τε καὶ τῶν Ἐνοτικτόντων Καὶ Ἐκτραπέλων „ἄλλων τε μυρίων θεαμάτων." Ταῦτά φησι δ' ὡς ἀληθῆ μηδὲ τῶν ἐψευσμένων. Ἐγὼ τῇ ἀπειρίᾳ δὲ ταῦτα ψευδῆ νομίζω.*

13. Athen. II, p. 70: *Καὶ Σκύλαξ δὲ ἢ Πολέμων „εἶναι δὲ τὴν γῆν ὑδρηλὴν κρήνῃσι καὶ ὀχετοῖσιν. ἐν „δὲ τοῖς οὔρεσι πέφυκε κυνάρα καὶ βοτάνη ἄλλη." καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς· „ἐντεῦθεν δὲ ὄρος παρέτεινε τοῦ ποταμοῦ, καὶ ἔνθεν καὶ ἔνθεν ὑψηλόν τε καὶ δασὺ ἀγρίῃ „ὕλῃ καὶ ἀκάνθῃ κυνάρᾳ."*

* * *

Herod. IV, 44: *Τῆς δὲ Ἀσίας τὰ πολλὰ ὑπὸ Δαρείου ἐξευρέθη· ὃς βουλόμενος Ἰνδὸν ποταμόν, ὃς κροκοδείλους δεύτερος οὗτος ποταμῶν πάντων παρέχεται,*

τοῦτον τὸν ποταμὸν εἰδέναι τῇ ἐς θάλασσαν ἐκδιδοῖ, πέμπει πλοίοισι ἄλλους τε τοῖσι ἐπίστευε τὴν ἀληθηΐην ἐρέειν, καὶ δὴ καὶ Σκύλακα ἄνδρα Καρυανδέα· οἱ δὲ ὁρμηθέντες ἐκ Κασπατύρου τε πόλιος καὶ Πακτυικῆς γῆς ἔπλεον κατὰ ποταμὸν πρὸς ἠῶ τε καὶ ἡλίου ἀνατολὰς εἰς θάλασσαν· διὰ θαλάσσης δὲ πρὸς ἑσπέρην πλέοντες τριηκοστῷ μηνὶ ἀπικνέονται ἐς τοῦτον τὸν χῶρον ὅθεν ὁ Αἰγυπτίων βασιλεὺς τοὺς Φοίνικας, τοὺς εἶπα, ἀπέστειλε περιπλώειν Λιβύην.

* * *

Cic. Divin. II, 42: Scylax Halicarnasseus familiaris Panaetii: excellens in astrologia, idemque in regenda sua civitate princeps, totum hoc Chaldaicum praedicendi genus repudiavit.

De aetate eius, qui hunc Periplum scripsit, Scylacis Caryandensis multa disceptaverunt viri docti, liberius usi iis, quae de Scylace referunt scriptores antiqui, testimoniis. Etenim notissimum est, aetate Darii Hystaspis vixisse Scylacem Caryandensem, qui regis iussu per Indum fluvium inde a Caspatyro urbe usque in mare australe navigavit et ex eo rediit per sinum Arabicum. Quem ut nemo veterum omnium neque quidquam scripsisse neque Graece scivisse neque in occidentales maris mediterranei partes ullum iter fecisse narraverit, miro studio nonnulli nostrae aetatis viri docti huius libelli, qui Attica dialecto, eaque posteriore confectus est, con-

tendunt fuisse scriptorem: quod fieri nullo modo potuisse cum demonstratum sit, refugit ille, qui novissime hanc opinionem defendit, ad eam argumentationem, confecisse Scylacem illum hoc opus, descripsisse eam orbis terrarum conditionem, quae fuerit aetatis Darii Hystaspis, sed vertisse hominem Atheniensem aetate Demosthenis libellum, edidisse descriptum dialecto Attica, inseruisse pauca: quibus postea addita sint nonnulla ab iis, qui libro utebantur.

Quod his rationibus refutatur. Animadvertendum est, opinionem eam, quae antiquo Scylaci librum tribuit, esse nihil nisi coniecturam et commentum ultimorum quorundam antiquitatis scriptorum, qui ne ipsi quidem satis meditati erant de rebus et nominibus, inter recentiores probatum ab iis, qui primi eum edebant neque satis accurate perlegerant, neque statum orbis terrarum in aetate Darii satis cognoverant. Nihil utrique Scylaci scimus commune, nisi nomen et patriam, ac si Thucydides Olori diversus est a Thucydide Milesiae filio, qui uterque erat homo Atheniensis, si Demosthenes orator diversus a Demosthene imperatore, ridiculum est, si cui improbabile videtur, diversum esse hominem Caryandensem, qui per Indum iter fecerit, a Caryandensi, qui mediterranei maris litora descripserit. Habeatur alter proavus alterius: artiore scilicet vinculo nullis connecti poterunt argumentis: hoc vero probabile est: censeamus igitur artem navigandi transisse in hoc genere a patre ad filium, mansisse in eo memoriam iti-

neris, quod ad explorandas terras adhuc incognitas suscepisset proavus, incitatum esse alterum Scylacem, qui postea vixit, hac memoria ad describenda litora tum vicina, tum distantia: neque interisse studium artis in hoc genere post eius mortem, descendisse ab eo tertium Scylacem, qui tempore Polybii mathematicis artibus operam dedit.

Solus antiquorum omnium, qui antiquissimum Scylacem cum scriptore nostro confudisse putari potest, est Aelius Dionysius Hadriani coaevus, qui in primo libro de Alexandria narravit, Dario hoc opus a Scylace esse dedicatum. Mirum est si quis Persarum regi ante bella cum Graecis suscepta librum dedicatum putat, in quo Graecorum ubique, Persarum ne minima quidem ratio habetur: ut ne nomen quidem eorum usquam commemoratum inveniamus. Haud dubie vel ipse hoc commentus est Aelius Dionysius, vel ex homine quopiam, qui id commentus erat, exscripsit. Eritne qui dicat, eiectas esse Persarum mentiones, insertas Graecorum? Vix puto quemquam tales nugas esse prolaturum: at aegre meliora sunt, quae de interpolationibus urbium post Persica bella conditarum contenderunt nonnulli: qui vero serio talia cogitaverit, ex eius ratione universum libellum ex interpolationibus conflatum demonstrare potero. Quod vero omnino opinionem illam, librum Carica lingua scriptum ab Atheniensi in vernaculam esse translatum, redarguit, id est, quod prorsus inutile fuisset hoc consilium. Cuinam homini sano in mentem

veniret voluntas transscribendi libri qui nautis destinatus nullum omnino commodum ferebat nautis in aetate ipsius? Nam quod singula vocabula inseruit, minimae frugis erat, si revera totus orbis terrarum status is, quem descripsit, erat antiquior. Itaque si in nautarum usum editum erat hoc opus, is haud dubie in eo status exhibebatur, qui erat aetatis editoris ipsius. Aliorum vero usui eum haud fuisse destinatum, est certissimum: soli enim portus, litora, loca in litoribus conspicua et navigationum longitudines describuntur: neque id contendi potest, antiquiorem litorum conditionem consulto esse descriptam, quia eius, qui hoc agit, non est inserere nova. Neque ab ullo homine ingenuo Atheniensi ferri poterat hic liber, nisi a nautis, quia universus prave scriptus est, omni carens orationis pulchritudine, puritate et ornatu. Neque hae maculae pro interpolationibus haberi possunt, manent enim satis multa, qnae prava sunt, licet plurima eieceris: itaque hanc viam a novissimo editore initam omnino deserui. Sed est scriptus hic liber ab homine rudi, in scribendo minime exercitato, qui loca in litoribus obvia ordine recensuit ut ipsi nota erant et ut facillime enarrabantur nulla omnino opera adhibita. Itaque oratio est vulgaris nautarum, est oratio hominis barbari, qui Graece sciebat, sed minime eleganter, qui ea in scribendo usus est dialecto, quae erat eius urbis, quae in maribus Graecorum imperium exercebat. Omnia enim inveniuntur signa posterioris dialecti Atticae, tum vocabulorum for-

mae quaedam (107, f), tum usus litterarum ῤῥ et ττ. Cum vero saepe inveniantur σσ et ρσ, equidem haec prorsus eiicere nolui. Possunt quidem haec esse mutata a librariis: at non prorsus improbabile est, hominem barbarum fuisse sibi parum constantem in usu omnium Atticae dialecti formarum, saepiusque eorum scriptorum, quorum libris usus est, verba et formas retinuisse. Etenim omnes has oras, quas describit, ipsum vidisse Scylacem, vix credibile est, et si vidit, tamen non omnes in aspiciendo descripsit, sed postea cum domi erat: ibique libris aliorum adiutus est, uno vel altero periplo antiquiore et praeterea haud dubie libro Hecataei, id quod patet e locis permultis, in quibus uterque omnino concinit, quos reperies in indice. Mutavit vero, quae rebus gestis sua aetate mutata erant, quatenus ipse hoc cognoverat. Ut non mirum esset, si quis locus reperiretur, qui ad antiquiorem geographiam pertinuerit: neque nos eo turbaremur: id modo ostendendum erat, quamnam aetatem demonstraret locorum plurimorum concinna multitudo: id quod effecit Niebuhrius.

At cum post Niebuhrium scripserit Gailius, cui veram opinionem non persuadebant argumenta certissima, equidem breviter locos omnes recensebo, qui ad diiudicandam hanc quaestionem faciunt, partim ab aliis partim a me observatos. Et quae Niebuhrius disputavit, ea leviter tango, quia in omnium manibus est eius scriptum: quae antiquiores disseruerunt interpretes, omitto, quia omittenda sunt: quae Gailius, ad ea respiciam,

haud quidem ob gravitatem, sed quia tum sunt recentissima quae de re dicta sunt, tum non sine ulla doctrina et acumine excogitata.

Sc. §. 5. Tyrrheni pertinent usque ad urbem Romam: inde Latini, quorum terra extenditur usque ad Circeios. Quem statum esse regii Romanorum aevi contendit Gailius (§. 17), mansisse usque ad initium saeculi quinti ante Christum. At quin sub Tarquiniis late patuerit id regnum, cuius caput erat Roma, dubitari non potest, si ingentia huius aetatis opera spectantur. Sed post regifugium sane exiguus erat Romanorum ager, neque tamen minor eo, quem post urbem a Gallis incensam tenebant (id quod accidit 365 a. u.; 387 a. Chr.): cum Latini defecissent nulloque cum Romanis vinculo iuncti manerent, usque dum 397 a. u. 355 a. Chr. foedus Latinum restitutum est. Scylacem vero eum adumbrare contendimus statum Italiae, qui erat annorum urbis 380 et 390. Itaque ex his nihil efficitur: sed maius est, quod nulla fit mentio urbium Tuscarum quae mari adiacebant, cum tamen satis accurate describantur urbes Carthaginiensium, qui multo magis alieni erant a Graecis, quam Tyrrheni. Medio saeculo quarto urbis Romae maxime florebat Tyrrhenorum commercium et potentia maritima, exeunte saeculo quarto eadem haec erat in iis regionibus auctoritas Carthaginis: Tuscos iam 278 a. u. debellaverat Hiero, 299 a. u. Aethaliam ceperant Syracusani, 357 a. u. Veios Romani, 366 a. u. Pyrgos diripuerat Dionysius: neque quidquam in mari

pollebant Tyrrheni, nisi ut piratae: itaque iure omittuntur eorum urbes a Scylace, ut quas parum eo tempore adierint mercatores. Aethaliam Tyrrhenorum esse tradidit Hecataeus (fr. 25): nihil de hac re in Scylace, quia huius aetate Tyrrhenis erepta erat haec insula. Id quoque, quod Latinorum et Volscorum terminus dicitur urbs Circeii, posterioris aetatis statum arguit, cum tempore regifugii usque ad Cumas pertinuerit nomen Latinum (Nieb. Hist. Rom. I, 593). Postea exorta est Volscorum potentia, qui Antium, quod medium inter Romam et Circeios situm est, occupaverunt et perpetuo tenebant, qui etiam Circeios tenebant ab anno urbis 266 usque ad 362. Ne postea quidem Latinorum erat Antium, at cum Circeios hi recuperavissent, consentaneum erat, his omnem oram ascribere, etsi una eius urbs Volscis parebat, cum continuae Volscorum ditionis initium post Circeios esset.

9. sqq. Volsci, Samnites, Lucani commemorati, cum in Hecataeo, quantum nos scimus, nonnisi Ausones et Oenotri dicti essent. Apud Scylacem nulla omnino mentio Oenotrorum, quorum tot oppida recenset Hecataeus. Interiit nomen eorum hoc saeculo. Contra (Nieb. Scr. min. I, p. 123) etiam omissa mentio Bruttiorum qui exstiterunt Ol. 105, 3; 358 a. Chr.; 394 a. u. c. Itaque si non diu ante, etiam non multo post scriptus est hic liber (Gail. §. 22).

10. Campani gens exorta est Ol. 85. 3. 438 a. Chr. Diod. XII, 31.

12, 13. Thuria, condita Ol. 84, 1. 444 a. Chr. ter commemorata. Quae omnia pro insertis habet Gailius (§. 27).

13, Messana non amplius Zancle appellata, ut ab Hecataeo, quia inde ab Ol. 75 nomen mutavit. — Agrigentum dirutum a Poenis 405 a. Chr.; Selinus cum parte regionis Agrigentinorum sub ditione Poenorum inde a 383 a. Chr.: horum omnium nulla mentio: sed est mentio Poenorum ipsorum, neque omnino de finibus singulorum in Sicilia populorum dicit Scylax. Quod Agrigentum commemorat, nihil interest, quamvis tum temporis hoc dirutum esse scimus, neque enim opus est ut urbem prorsus interisse putemus. Sic etiam Sybarim commemorat, fortasse solummodo urbis rudera, et Rhegium dirutum a Dionysio 392 a. Chr.

14. Heraclea ad Sirin, condita a Tarentinis, Ol. 86. 4. 433 a. Chr. Diod. XII, 36. Herodoto nonnisi Siris vocabulum notum (VIII, 62) Ukert, Geogr. I, 2, 291. In finibus Iapygiae determinandis Scylax discrepat a Thucydide, qui (VII, 33) etiam Metapontum Italiae tribuit, quam ab Iapygiae distinguit. Quando fines mutati sint nescimus.

18. Celtae relicti prope Padum amnem ab expeditione ea, quae per Italiam profecta Romam cepit 365 a. u. 387 a. Chr. Certum est, antea nusquam pertinuisse Gallos ad mare Adriaticum, cum Herodotus eos in extremi occidentis regionibus habitare tradiderit II, 33; IV, 49. Niebuhr. Hist. Rom. II, 577 sqq.

23. Issa colonia Graeca condita a Dionysio Syracusano maiore: Nieb. Scr. min. I, p. 117.

26. Mentio Epiri, cuius nominis usus hic primum invenitur, quem quasi praeparatum videmus in locis, quales sunt Pind. Nem. IV, 51; Thuc. II, 81; III, 102. Interpolatam illam mentionem iudicat Gailius (§. 7).

28. sqq. Chaones, Thesprotos, Cassopos, Molossos vicatim habitare Scylax refert, quod necessario ad aetatem Philippo antiquiorem referendum esse contendit Gailius (§. 6): cum iam ab Herodoto ibi memoretur urbs Posideium (III, 91), ab aliis aliae. Posideium Herodotus non in Epiro sed in Cilicia situm dicit. Sed iam Hecataeus urbes ibi cognovit Buthrotum et Baeacen (75, 76): itaque nisi Scylacem nostrum Dario Hystaspis antiquiorem facis, fatendum est, urbes Hecataei a vicis Scylacis haud esse diversas, et vixisse hos populos pariter atque Arcades. A Thucydide (II, 80) Chaones et Thesproti dicuntur vivere sine regibus, cum vicini eorum Molossi, Parauaei, Atintanes, Orestae regibus obtemperaverint. Eandem reperimus conditionem in aetate Philippi, manserat antiquus ille status usque ad tempora Macedonica.

29. Quod e descriptione situs Corcyrae e regione Chaoniae efficit Gailius (§. 7), aetate Scylacis magis versus meridiem extensos fuisse Chaonum fines, quam postea, velut in ea, quam Scymnus describit, cum dicit *Κόρκυρα νῆσος δ' ἐστὶ κατὰ Θεσπρωτίαν* (445): id eo refellitur, quod ipse Scylax Corcyram magis e regione Thesprotiae quam Corcyrae sitam esse retulit.

32. Quod ad mare Molossos pertinere dixit Scylax, antiquioris aetatis testimonium esse contendit Gailius (18). At Dicaearchus (v. 45) Oreitas prope Arachthum amnem ad sinum Ambracium habitare refert, Hecataeus Orestas populum Molossorum dicit (fr. 77): itaque tum Hecataei tum Dicaearchi aetate Molossorum Orestarum ditio extendebatur usque ad hunc sinum, sed haud dubie exiguo tantum tractu, cum in media terra latiore habitarent ambitu.

34. Urbem Leucadem antiquiore tempore Epileucadios dictam esse refert Scylax. Ita appellata est ab Hecataeo (fr. 79).

45. Lepreatas Arcadiae partem dicit Scylax, id quod nonnisi ad eam aetatem, quae pugnam Leuctricam proxime secuta est (Ol. 103, 4), referendum esse demonstravit Niebuhrius (Scr. min. p. 117. sq.). Scylacem sequitur Dicaearchus, idem referens (Cic. Attic. VI, 2. Ukert. Geogr. I, 2, p. 293). Contendit Gailius (§. 9), cum a Strabone dictum sit (VIII, 519) Arcades saepius hanc regionem occupavisse, Pylumque Triphyliacam etiam Arcadicae nomen gessisse, esse nihil, quod impediat, quominus Darii etiam aetate Arcadiae fuisse existimemus Lepreum, de quo nihil traditur, quod illuc pertineat. Itaque per se nihil probat hic locus, cum vero e reliquis pateat aetas posterior, in eo etiam certissimum eius habemus testimonium. Mirum sane est quod deest mentio urbis Megalopolis. Sed facile excidit, cum paulo ante eius locum dictum sit *πόλεις αἱ μεγάλαι*.

46. Messeniorum ditio memoratur, quae nonnisi tum ante bella Messeniaca tum post Epaminondam in Peloponneso exstabat; cum interea omnis haec regio Laconicae adnumeraretur. Nieb. Scr. min. 118 sqq. Memorat Scylax etiam urbem Messenam, quam diversam esse ab ea, quam condidit Epaminondas, contendit Gailius (§. 10. cf. Annot. 207) id quod equidem refutavi in annotationibus. Sed etiamsi verum esset, nullo modo Messeniae regionis mentio ferri posset in aetate Darii Hystaspis: et minime omnium Messenia illa Scylacis pertinens solum a finibus Triphyliae usque ad Mothonen, tota australi Peloponnesi ora Laconicae tributa: cum australis pariter atque occidentalis Messeniae pars antea Messeniorum fuisset, post bella Messeniaca Lacedaemoniis obtemperaret.

58. Muros longos Atheniensium memorat Scylax, exstructos Ol. 80, 4, 451 a. Chr., quos τὰ σκέλη appellat, quod nomen posteriori aetati recte ascribit Gailius qui locum insertum iudicat (§. 24). Sed Piraeeus etiam ab eo portus dicitur Atheniensium isque triplex, cum tamen aetate Darii ante Themistoclem solo Phalero portu uterentur (Paus. I, 1, 2).

59. Histiaea a Scylace memoratur nomine antiquo ut Herod. VIII, 23; Thuc. I, 114, 57, nondum Oreus, quod nomen accepit quo tempore Euboeam debellavit Pericles Ol. 83, 3; 445 a. Chr., qui Histiaeenses in Macedoniam eiecit, urbem Atticis tradidit colonis, a quibus dicta est Oreus (Theopomp. apud Strab. X, 683).

Tamen non antiquior habendus est Scylax, cum post hoc tempus factum sit quod narrat Thucydides, et Pausaniae etiam aetate saepius antiquo Hestiaeae nomine dicta sit Oreus (VII, 26, 4).

62. Thronium et Cnemis Phocensium urbes dicit Scylax, quae erant Locrorum, sub ditione Phocensium nonnisi primis regnantis Philippi annis (Aeschin. περὶ παραπρ. p. 45, 33). Tempore Peloponnesiaci belli adhuc Locrorum erant, id quod de Thronio refert Thucydides (II, 26), quod non ante tempora belli sacri expugnaverunt Phocenses Ol. 106, 4; 353. a. Chr. (Diod. XVI, 33) Nomina inserta censet Gailius (§. 26). Quod hic (§. 23) Phocenses nonnisi in tempore antiquissimo ad utrumque litus pertinuisse idque e Strabonis loco apparere dicit (IX, 637): ibi nihil dictum nisi τὸ γὲ παλαιόν, quod late patet.

67. Pydna diruta a Philippo Ol. 105, 3; Methone Ol. 106, 4, Olynthus Ol. 108, 1: quae omnes a Scylace recensentur. (Nieb. Scr. min. p. 123). E quibus solius Olynthi urbiumque in Chalcidice, quos una cum hac prorsus evertit Philippus, rationem habendam esse arbitror: cum multas dirutas urbes memoratas videamus a Scylace, modo ne plane exstinctae essent. Ceterum Macedoniae nomine totam hanc maritimam regionem appellat Scylax, cum Thracia Hecataeo dicatur: ut illud recentiori tempore tribuendum videatur.

68. Amphipolis recensetur, condita ab Atheniensibus colonis duce Agnone Niciae filio Ol. 85, 4; 437

a. Chr. Thuc. IV, 102. Locum insertum putat Gailius (§. 25). — Datum urbs Thracum Edonorum (Her. IX, 75) a Graecis colonis occupata est duce Callistrato Atheniensi, cuius facti meminit Scylax, quod accidisse non potest ante Ol. 104, 4. Nieb. Scr. min. p. 120—122. Cf. Isocr. de Pac. 9. Quod locum Herodoti contra hanc argumentationem profert Gailius, non consideravit, non Graecam urbem dici Datum ab Herodoto. Quod urbem Perinthum etiam recentiore nomine Heracleae quo multo post demum appellata est, designatam videmus, ibi sane interpolatio videtur statuenda, cum ne proxime quidem in textu Perintho apposita sit Heraclea. — Deest vero mentio Byzantii, quod inde repetit Ste. Croix, quod aufugerint incolae metu Persarum. Respondit Niebuhrius (p. 129), tunc omnes Hellesponti urbes fuisse omittendas, quarum omnium nomina recensuit. Cui opponi potest occupatas esse has, non deletas, licet hoc non dixerit Gailius qui tacite Sancrucio assentitur (§. 15). At certissimum argumentum in eo positum est, quod Chalcedonis meminit Scylax (91, b), cui tamen prorsus idem quod Byzantio accidisse narrat Herodotus (VI, 33). Itaque minime de illo tempore agitur.

69. Chersonesum urbem Graecam in Taurica memorat Scylax, Herodoto (IV, 99) ignotam. Ukert. I, 2, 292.

87. Chalybum fines, quales in Xenophontis Anabasi inveniuntur, diversos esse ab iis, quos Scylax designat, contendit Gailius (§. 13). Praeterea apud Xenophontem Colchidis fines latius versus occidentem extenduntur,

neque singulae gentes eius finitimae recensentur, neque Assyriae mentio fit, sed sub nomine Paphlagoniae ea regio comprehenditur. Xenophon Trapezuntem et Cerasum Colchidi tribuit, deinde Mosynoecos, Chalybes iis subditos, tum Tibarenos cum urbe Graeca Cotyora recenset, post Cotyoram statim ei litus Paphlagoniae incipit. Ex his Mosynoeciae descriptio concinit cum Scylace, qui montanam dicit hanc regionem, quam Xenophon transitu difficilem (V, 4, 2, 15: cum Tibarenorum terra planior sit V, 5, 2). Quod Chalybes Mosynoecis subditi praetermittuntur a Scylace, non est mirum neque diversam arguit aetatem, cum revera tota haec regio dici possit Mosynoecorum. Horum finitimi sunt Tibareni. Inde ab hac regione non amplius pedestri sed maritimo itinere profectus est Xenophon, qui cum omnem hunc tractum dicit Paphlagoniam, generali nomine uti videtur, pariter ac si Colchidis fines usque ad Cerasum producit. Hecataeus enim iam in Matienis, qui magis etiam orientem versus habitabant in media terra, similitudinem cum consuetudine Paphlagonum animadvertit (fr. 189). Itaque si Xenophon hanc regionem, quam ipse non tetigit, generali Paphlagonum nomine designavit, Scylax in ea singulos enarravit populos. Syrorum vel Assyrorum mentio etiam post Alexandrum invenitur. (Callisthen. apud Strabon. XII, 817. Nieb. Scr. min. 128).

97. Urbs Leucae conditae Ol. 107, 1, 352 a. Chr. (Diod. XV, 18). Et hinc et e mentione Thronii patet, scripsisse Scylacem non ante mediam Ol. 107.

98. Halicarnassus non regia dicta, ut Aegae (§. 67, a) et Tyrus §. 104, b: cum tamen Mausolus, Philippo coaevus, regiam ibi constituerit (Gail.). Sed idem hoc omissum in Dorisco Thraciae §. 68, b. (Herod. VII, 50).

101. Pamphyliae et Lyciae terminum Scylax circa Pergam urbem designat, ut Phellum, Lyrnatiam, Chelidonias, Idyrum Lyciae tribuat, quas omnes Pamphyliae urbes dicit Hecataeus (fr. 243—247), qui Lyciae terminum orientalem inter Pataram et Phellum collocat.

102. Termini Ciliciae aetate Hecataei videntur fuisse circa Charadrum et Nagidum (fr. 252); Scylacis aetate ab occidentali parte Selinuntis. Tyrus insula: itaque ante Alexandrum scripsit Scylax (Gail. §. 16).

109 — 111 fin. Carthaginiensium ditio a Neapoli usque ad columnas Herculis extenditur. Nihil de hoc amplo eorum imperio dicit Herodotus.

109. Syrtis minor Herodoto ignota (IV, 178. 179) Ukert. Geogr. I, 2, 290. Gailius (§. 26) locum insertum iudicat.

Quod deest Italiae nominis mentio, quae tamen est Herod. III, 136 et Thuc. VI, 2 (Gail. §. 23), quod Ecechiries et urbem Magnesiae Homolium solus memorat Scylax (Gail. §. 12 et 14), haec non arguunt aetatem diversam.

Praeter hunc Periplum maris interni Indiae etiam periplum scripsit Scylax, in quibus Hecataeum maxime secutus videtur, qui pariter atque ille de Sciapodibus dixit. Neque improbabile est, eiusdem esse historiam

Heraclidis Mylassensis. Nieb. Scr. min. 125. Periplo nostro saepissime usus est Dicaearchus, qui multos eius locos versibus expressit, velut §. 33 per v. 27—34; §. 48 per Cretae capitis v. 2—20; §. 59 ib. per v. 21—41.

Addam huic disputationi conspectum opinionum, quas de aetate Scylacis protulerunt viri docti, e Gailio descriptum (p. 226): I. Periplus tribuitur Scylaci antiquissimo aetatis Darii Hystaspis a Luc. Holstenio (Bredow. Epistol. Paris. p. 13); Fabricio (Bibl. Gr. IV, 106); Hagero (Geogr. Büchersaal I, p. 560); Ste. Croix (Mem. de l'Acad. des inscr. XLII, p. 350; Exam. crit. des hist. d'Alex. ed. II, p. 730); Bayero (de situ Scythiae: Comm. Petrop. III, p. 96). Quibus assentitur Gailius. II. Scylacem paulo post Herodotum scripsisse censuit Mazocchi Tabb. Heracl. p. 101. — III. Ineunte bello Peloponnesiaco Mannertius (Geogr. Graec. et Rom. I, p. 70). — IV. Inter annos 370 et 360 a. Chr. Ol. 102 et 105, inter pugnam Leuctriacam et interitum Methonae atque Olynthi Bougainvill. Mem. Inscr. XXVIII, p. 266. — V. Media parte priori regni Philippi, cuius exordium est 360 a. Chr., Niebuhrius (de aetate Scylacis Caryandensis tum Scr. Acad. Reg. Berol. 1804—1811 p. 83. tum Scr. min. p. 105 sqq.); Ukertus (Geogr. Gr. et Rom. I, 2, p. 285. — VI. Scylacem scripsisse post Timaeum Cluverius (Ital. ant. IV, 4, p. 1166), Io. Henr. Vossius (Weltk. der Alten p. 7, 10). — VII. Scylacem vixisse aetate Polybii G. I. Vossius, Is. Vossius (ad Scyl. et ad Mel. p. 594), Dodwell. (Diss.

in Scyl.); Wassius (ad Thuc. II, 97.) — Nos Bougainvillii, Niebuhrii nostrisque argumentis confisi, tempus quo liber scriptus sit, statuimus mediam vel exeuntem Ol. 107.

Codices Scylacis. 1. Palatinus, nunc etiam Romae servatus, ex quo Scylacem edidit Hoeschelius. Vide Sylburg. Catal. MSS. Graec. Nr. 142. Huius sunt lectiones eae, quae vulgatae dicuntur.

2. Hervurtii, quem comparavit Hoeschelius, saepius meliores altero lectiones praebens, saepius ubi in utroque sunt lacunae, syllabas ibi quasdam literasque exhibens, quae, cum de vera lectione remanserint, in altero exstinctae sunt.

In bibliotheca Bodleiana codex esse traditur: Fabric. Bibl. Graec. IV, p. 608 sq. (Harl.).

Editiones. 1. *Hoeschelii* cum Marciano Heracleota, Artemidoro Ephesio, Dicaearcho Messenio et Isidoro Characeno. August. Vindel. 1600. 8. Cum brevibus notis.

2. *Is. Vossii* cum Anonymi Periplo Ponti Euxini. Amstel. 1639. 4. Cum notis et versione Latina.

3. *Iac. Gronovii* cum Periplo Anonymi et Agathemero Lugd. Bat. 1697, 4. Cum versione et notis Is. Vossii, I. Palmerii, S. Tennulii.

4. *Hudsoni* in Geographiae veteris scriptor. Graec. min. Vol. I. Oxon. 1698. cum interpretatione La-

tina, notis priorum editorum et Hudsoni, et Dodwelli dissertatione in Scylacem.

5. *Iac. Gronovii* cum Anonymo, Agathemero et fragmento Ephori Lugd. B. 1700. Cum notis Voss. Palm. Tenn. et em. I. Gronovii, cuius accedit animadversio in Oxoniensem editionem et examen dissertationis de aetate Scylacis.

6. *Io. Franc. Gailii* Geographi Graeci minores. Vol. I continens Hannonis et Scylacis Periplos. Paris. 1826. 8. Cum disputationibus et notis priorum editorum et Gailii, versione recognita, tabulis aeri incisis.

---

1. *Iac. Palmerii* Exercitationes ad optimos auctores Graecos Lugd. Bat. 1648, 4, p. 268—282. Cf. eiusd. Graecia antiqua in permultis locis.

2. *F. Gail.* Diss. sur le Periple de Scylax et sur l'époque presumée de sa redaction, Paris. 1825. 8. Cf. *Letronnii* censuram (Journal des Savans 1825, Fevr. April. Mai).

Reliquas dissertationes antea designavi.

ANNOTATIONES.

Αἱ νῆσοι αἱ ἑπτὰ αἱ οἰκούμεναι] Septem insulae maiores a Scylace depinguntur, Sicilia (13), Corcyra (29), Creta (48), Euboea (59), Lesbus (96), Rhodus (99), Cyprus (103) cum reliquae, velut Sardinia, obiter recenseantur.

1. *Ἡρακλείων στηλῶν*] Non licet plures quam duas Columnas numerare. At cum, teste Strabone (III, 258) tres susceptae Phoenicum expeditiones metam orbis terrarum occidentalem magis ac magis removerint et Columnas Herculis posuerint; primum in Calpe et Abyla, secundum paulo ulterius ad promontorium nunc dictum *Trafalgar*, tertium ad insulam Gades: inde orta confusio locorum et multiplex fuit Columnarum numerus. *Gail.* Cf. §. 110, e, f.

Αἰθιόπων τῶν μεγάλων] §. 111, k.

Πλοῦν ἡμέρας] Distabant inter se columnae intervallo quatuor et octoginta stadiorum. Diei navigationem quingentorum stadiorum mensuram supputat Scylax (69). Ratio vero, qua haec determinabantur, non spatii erat sed temporis, itaque si fluctibus vel ventis modo tardior modo celerior reddita est navigatio, modo longius modo brevius spatium tempore die superatum est, quod cum accurate definire non possent, mediam illam quingentorum stadiorum longitudinem nautae generalem statuebant mensuram. Quod auctore Scylace fretum Columnarum tantum, quantum Bosporus Thracius, patere dicit Avie-

nus (372), is error inde repetendus videtur, quod ex memoria hic locum citavit.

Ἐμπόρια πολλὰ Καρχηδονίων] Avien. Or. Marit. 375. Ultimus Europae terminus Sacrum recensetur promontorium §. 111. c.

Πελάγη] *Vasti lacus*. Quibus significari videtur, non in ipsum flumen Oceani evehi eos, qui per Columnas profecti sint, sed in amplum sinum dilatari Oceanum. Itaque non opus est eleganti emendatione Gailii: *τενάγη*.

2. *Νῆσοι δύο*] §. 110, e, f. *Γάδειρα νῆσος* - - - *Γάδειρα νῆσοι*.

Εἶτα ἐμπόριον] Gades alter, Emporium alter Iberiae terminus. Num quid inter utrumque de oppidis Iberiae maritimis dictum exciderit, incertum: putari tamen potest, inde explicandum esse accusativum *πόλιν Ἑλληνίδα*. Conferas tamen notam ad §. 50.

Εἰσὶ δὲ οὗτοι] De Emporitis dictum pariter ac Liv. XXVI, 19: »Emporiis urbe Graeca (oriundi et ipsi a Phocaeis sunt) copias exposuit.« Saepe negligentius a Scylace iunguntur sententiae, ut pluralis ponatur, ubi singularem exspectamus. Cf. §. 24, b; §. 31.

4. *Ἀλπίον*] *Ἀντίον* quod Codd. exhibent, ineptum. Albium Intemelium oppidum Liguriae (Plin. III, 5, 7) a Rhodani ostiis tantum distat, quantum ab urbe Roma, id quod de hoc loco asserit Scylax 4, 5. *Gail.*

. . . . *ἄποικοι αὗται Μασσαλίας*] Locus mutilus. Exciderunt oppida, quae Strabo recenset: *Ταυροέντιον, Ὀλβία, Ἀντίπολις*. Cluver. Ital. ant. I, 8, p. 54.

εὐλίμενος] A Columnis ad Tarraconem rari portus, deinceps plures: Strab. III, 240. Haec igitur, saltem ex parte, falsa. *Gail.*

12. *Ἐλαά, Θουρίων ἀποικία*]. Laus sinus et amnis Laus et urbs, colonia Sybaritarum Strab. VI, 388.

Elea, quam rescribit Cluverius, Phocaeensium erat colonia. *Gail.* Elaa fortasse pro antiquiore Lai forma habenda est.

Πλαταιεῖς] Gronov. *Πλαταιέων*. Plataeenses cum Chalcidensibus Leontinos condiderant (Müller Orchom. 401). Non est, quod impediat, quin urbs Lucaniae nomen Plataearum gesserit pariter ac Thebae Lucanae Thebarum (Plin. III, 11, 15), id quod recte monuit Mazocchi.

Μέσα codd. Non est, cur hanc formam eiiciamus. Apud Stephanum est *Μέσμα*. Mesa, Mesma, Medma, Medama varia eiusdem urbis nomina, quorum origo posita videtur in vocabulo *medii*.

13. *ἀπὸ τῆς Εὐρώπης*]. Ab Europa distinguitur etiam Creta insula §. 48. a.

ἐς]. In omnibus reliquis Scylacis locis est forma *εἰς*.

b. *κ' σταδίων*] *κ'* in *μ'* mutandum censet Cluverius.

Σύμαιθος ποταμός]. Symaethus á boreali Teriae parte fluit, minime ab australi: itaque collocandus fuisset inter Catanam et Leontinos. Propterea ab interpolatore eius mentionem repetit Gailius: at saepius desertum a Scylace videmus iustum ordinem. Teriae mentio Symaethum revocat in memoriam: cf. descriptionem Orici et Amantiae.

λιμὴν Ξιφώνειος] Promontorium Strab. VI, 410. Civitas Xiphonia Steph. *Ξιφέρου λιμὴν* in Sicilia Aesch. Glauc. marin. fr. 35. (Ddf.)

ἔστι δὲ ἡ Σικελία τρίγωνος cett.] Hanc ambitus Siciliae descriptionem serius insertam iudicat Gailius, quia inter Himeram et Mylas posita sit, neque ineunte neque exeunte universa insulae enarratione. At ipsius insulae descriptio finitur mentione Himerae, post hanc insula Lipara recensetur, post Liparam Mylae, ut Liparae situs definiatur. Itaque non ineptum est, ibi

memoratam esse longitudinem insulae, ubi continua litorum descriptio interrumpitur.

c. *κατὰ πέραν*] Voss. e coniectura: *κατὰ Ἱμέραν*, rectius *καθ' Ἱμέραν*. Sed non ad Himeram sita est insula, Lipara, sed ad Mylas. *κατὰ πέραν* videtur significare: e regione lateris illius Siciliae, quod modo describebatur. *πέρα* est terra sita e regione alius cuiuspiam, velut *πέρα Ναυπακτία*, terra Naupactia Peloponneso opposita: Aesch. Suppl. 262. *Χάλκιδος πέραν ἔχων*, tenens regionem Chalcidi oppositam: Aesch. Agam. 190. *ἐξ ἐνέρων περῶν* e mortuorum regionibus nobis oppositis. Prom. 573. E sequentibus locis etiam alibi situs loci cuiuspiam definitur, velut insulae Olyntae situs e situ Phari et Issae, §. 23. Gailius coniecit *κατὰ περάτην*, circa ultimam insulae urbem, cum ibi circuitus Siciliae terminetur. At nullo modo ita significari potuit urbs Mylae, cum minime ultimum ordine, sed spatio remotissimum indicet *πέρατος*.

d. *Λακίνιον*] Situm a boreali Crotonis parte. Primum urbes, deinde loca memorantur.

καὶ νῆσος Καλυψώ] Fortasse *Καλυψοῦς*. *Vossius.*

Θουρία] Codd. *Τυρία* levi errore. Forma *Θουρία* est etiam §. 12. Quod et Sybarin et Thuriam recenset Scylax, bene se habet, cum non in ipso eo loco, quo sita fuerat Sybaris, sed prope eum condita sit Thuria, neque mirum sit, quod celeberrimam urbem etsi dirutam non praeterierit. Quanquam non incommoda est opinio Cluverii, qui Sybarin amnem intelligit, cum inter Crathin et Sybarin amnem sita fuerit urbs famosissima. Neque opus est mutatione *ποταμός* in *ποταμοί*.

14. *Δρίονος*] Drion mons nomen promontorii Gargani (Strab. VI, 435; Schol. Lycophr. Cassandr. 604.) quod Iapygiae montem dicit Servius Virg. Aen. X. 247. *Gail.*

Λατέρνιοι] Apud Strabonem (VI, 430) *Λευτέρνιοι*. *Βορεοντῖνοι* fortasse *Βρεντεσῖνοι*, utrum vero formae diversae exstiterint an librariorum errore haec mutata sint, incertum est.

15. *Τυρσηνικοῦ*] Codd. qui §. 3, 17, 18 *Τυῤῥηνοί*.

17. *μετὰ δὲ τὸ Ὀμβρικόν*] intellige *ἔθνος*.

πόλις Ἑλληνὶς καὶ ποταμός] Spinam dicere videtur, e cuius nomine Spineticum Padi ostium designatur.— *ἐν αὐτῇ* dictum, quasi pro *Τυρρηνοί* antea scriptum esset *Τυῤῥηνία*.

ἀπὸ πόλεων . . . πόλεως] Lacuna manifesta. Post *πόλεων* nomina australium in litore occidentali et orientali Etruriae terminorum exciderunt, praeterea vox *μέχρι* et ea urbs, quae est ultima boream versus in orientali ora, fortasse: *ἀπὸ πόλεων Ῥώμης καὶ Ἀγκῶνος μέχρι Σπίνης πόλεως*.

ὁδὸς ἡμερῶν τριῶν] Referendum videtur ad iter pedestre in ora maritima, ut §. 25. Non omisisset Scylax designationem, quanto spatio litus extenderetur.

18. *ἐπὶ στενῶν*]. In angusto illo tractu inter Spineticum et Volana Padi ostium Gallos litus habitavisse apparet.

ὁ μυχός] Ad Ravennam collocatur a Procopio Goth. I, 15.

19. *ἐπ' αὐτῆς*] quasi dictum esset *Ἐνετῶν χώρα*, ut §. 17. *ἐν αὐτῇ*.

ἐντεῦθεν]. Dictum pro *huc*, ut §. 100, d.

20. *Ἰστρός*] cf. Hecat. fr. 59.

ἐν διασκευῇ ὡς εἰς Αἴγυπτον] *in directione adversus Aegyptum*. Ita facillime emendatur lectio codicis *ἐνδιασκεύνως εἰς Αἴγ.* De Istri ostiis Nilo oppositis cf. Herod. II, 34.

21. *παρὰ θάλατταν*] Interpolationem suspicatur

Gailius, quia non soleat Scylax ita loqui, sed nude memorare urbes maritimas. Sed hoc loco *πόλεις παρὰ θάλατταν* opponuntur iis, quae in insulis sitae postea memorantur.

Λιάς] Codd. Urbs ignota. Voss. coni. *Ἰάς*, quam memorat Stephanus. — Gail. *αἶδε*.

Ἴδασσα, *Ἀττιενίτης*] Gronov. coni. *Δαρσάτικα*, *Σενίτις*.

Ἀλουψοί] Puto legendum *Λοψοί*. *Vossius*.

Πεδῆται] Pedani Stephani (s. v.) Dionysii et Plinii (III, 5).

εἰσὶ — πολλαί] in parenthesi dictum.

22. b. *κατοικοῦσι δὲ χεῤῥόνησον*]. Cave ne hanc eandem esse peninsulam credas, ac vulgo in tabulis geographicis dictam Hyllin Chersonesum, quae ab Encheleis initium ducit et e meridie septentrionem vergit, peninsulam hodie di Sabioncello. Recte enim in vicinia Liburnorum, Istrorum, Bulinorum et promontorii Diomedis Hyllidis situm demonstravisse Scylacem, confirmant Apollodorus (Steph. Byz. *Ὑλλεῖς*), Dionysius Periegetes (v. 384 sqq.), Plinius (III, 22, 26), Scymnus (v. 404 seqq.). Peninsula di Sabioncello recensetur a Scylace prope Naronem amnem (25). *Gail.* Hyllis est borealis Dalmatiae pars, ubi sita sunt oppida Zara, Nona, alia, quae Scylacis aetate continua fuisse videtur, cum nunc divisa sit in multas insulas.

Ἀπὸ δὲ χεῤῥονήσου παραστόνιον ὀρθὸν ταύτην παροικοῦσι]. Locus depravatus vix restituendus. Gronovius coniecit: *ἀπὸ δὲ χεῤῥονήσου παρὰ τὸν ὄχθον ταύτῃ παροικοῦσι Βουλινοί*. *Post Chersonesum praeter oram illic habitant Bulini.* Sed *ὄχθος* non est ora. Holstenius vertit: *post peninsulam litus directum incolunt.* Probabile est, semel excidisse *Βουλινοί*.

23. *Νεστοί*]. Schol. Apoll. Rhod. IV, 1215: *τοὺς*

Νεσταίους Σκύλαξ φησὶν ἔθνος Ἰλλυρικόν. ἀπὸ τούτων περίπλους ἐστὶν εἰς τὸν κόλπον Μάνιον. καὶ Ἐρατοσθένης ἐν τρίτῳ γεωγραφουμένων φησί· μετὰ Ἰλλυρίους Νεσταῖοι. Sic legendum. *Vossius*. Codd. hic *Νεστοί* et §. 24 *Νεστῶν*, neque hoc mutandum, cum ipsa Scylacis verba non exscripserit scholiasta.

Χώρα ἀνήκει σφόδρα εἰς θάλασσαν]. Peninsula di Sabioncello. V. not. ad 22. b.

24. *τριήρης*] Codd. *τρίηρις*. Vossius *τριήρεις*. Dici posset *τριήρεις καὶ πλοῖα*, attamen non recipienda videtur haec lectio sine certa codicum auctoritate.

εἰςπλεῖ δὲ εἰς αὐτὸν καὶ τριήρης]. Haec nihil significare possunt, nisi triremem posse penetrare in ipsum amnem, usque ad emporium, si *usque ad amnem* significaturus fuisset scriptor, scripsisset *μέχρι αὐτοῦ*. Haec contra Gailium disputo, qui vocabulo *πλοῖα* parvula navigia significari opinatur, quae usque ad emporium penetraverint relictis triremibus ad ostia fluminis. Sed infaustius situm fuisset hoc navale, quam quod erat ex more Graeco, neque *πλοῖα* sunt parva navigia sed naves onerariae.

b. *Οὗτοι δέ εἰσιν Ἰλλύριοι ἔθνος Μάνιοι*] *οὗτοι* dictum de incolis emporii, ut §. 2.

Ἀρίωνα ποταμόν]. Pouquevill. Itin. in Graec. I, p. 25: Dans la province de Breno, l'une de celles, qui composent les états de Raguse, est la vallée d'Ombla, traversée per l'Arion; le prince des fleuves souterrains, qu'on voit avec surprise sortir du mont Bergat. Les habitans assurent, sans le prouver, que l'Arion est un écoulement des eaux du lac de Popovo. Interpretes fere omnes pro Arione in textum receperunt Drilonem, qui ab australi Buthoae parte fluit, cum Scylax a septentrione meridiem versus pergens, Buthoam post hunc amnem recenseat. Praeterea Epidamnus Driloni est vici-

na, quam ab Arione a Buthoa mille stadia distare dicit Scylax. *Gail.*

c. *ἀπὸ δὲ τοῦ Ἀρίωνος -- καὶ Κάδμου καὶ Ἁρμονίας οἱ λίθοι εἰσὶν ἐνταῦθα*]. Posteriore hac sententiae parte navigationis ab Arione coeptae terminus significatur. Rupibus Cadmi et Harmoniae vicina est Buthoa: itaque cum modo rupes illas ut terminum navigationis posuerit, altero iam loco iis vicino eundem terminum designat. Rupium mentio peregrinatoris, Buthoae mentio mercatoris gratia facta. Posterior navigationis terminus eodem modo, quo hoc loco (non per *μέχρι* c. gen. sed per *καὶ ἐνταῦθα* vel *κατὰ δὲ ταῦτα*) significatur §. 109. b. Falsum est, quod numerum post *Βουθόην ὁ πλοῦς* excidisse contendunt interpretes, cum in mentione rupium dictum sit, quantum haec regio distet ab Arione. Eiusdem igitur regionis est emporium, quod post Buthoam commemoratur, neque dubium est, quin hoc sit emporium Rhizon, situm ad amnem Rhizontem in intimo sinu, cui adiacebat Buthoa. Solet vero Scylax omittere emporiorum nomina (§. 2; §. 24, b.). Amnem et oppidum prope Buthoam memorat Stephanus. Quod per amnem Encheleorum regio, per Buthoam terminus navigationis designatur (§. 25), bene se habet, quoniam Encheleorum sedes in media terra, Buthoa ad mare sita fuerit. Cf. Hec. fr. 74.

ἀπὸ δὲ τοῦ Ἀρίωνος εἰς Βουθόην ὁ πλοῦς]. Dictum ut §. 48: *πρὸς νότον δὲ ἄνεμον πλοῦς εἰς Λιβύην.*

25. *τοῦ Ῥιζοῦντος* ad fluvium quendam tantum referri potest, aliter enim (si oppidum designandum fuisset) haberemus *τῆς Ῥιζοῦντος*. *Gail.*

26. *Κατ' ἀντίον* Codd. Vossii coniecturam *κατ' Οἰδάντιον* satis refutavit Palmerius. Ferri potest *κατ' ἀντίον*, dictum de altero sinus termino, alteri, ubi Buthoa sita, opposito. Tamen hoc mire dictum est, cum

minime sinum designaverit scriptor. Optime se haberet Taulantiorum mentio (cf. Hecat. fr. 68), quam introduxit Gronovii coniectura *Ταυλάντιοι.* Tum vero *εἰσίν* pro *ἐστίν* dicendum fuisset. Fortasse legendum est *Ταυλαντίων,* neque opus est ut articulus *τὸ* deleatur, quippe qui spectetur a relativo *ἐν ᾧ*. Neque tamen spernendum est, quod observavit Gailius: Palmerii ego sententiam eo libentius sequor, quod Mela (II, 3, 12) et Plinius (III, 22) scripserint, in hoc loco fuisse Illyrios proprie dictos.

Πάλαμνος]. Puto eundem esse illum, qui Ptolemaeo est Panyasis. *Vossius.*

Πρὸς Ὠρίκου εἴσω μᾶλλον — στάδια ξ]. Locus plurimum vexatus ab interpretibus, qui non intelligebant, iungenda esse vocabula *τῆς Ὠρικίας στάδια π΄*, quanquam alioqui subiecto caret sententia. Itaque ne minime quidem ferri potest quaevis eorum interpretatio. Oriciae octoginta stadia nihil significant, nisi Oriciae tractum octoginta stadia longum, itemque *Ἀμαντίας στάδια ξ* Amantiae regionem per sexaginta stadia extensam. *πρὸς Ὠρίκου* est *a parte Orici.* Cum hucusque in hac ora meridiem versus perrexerit Scylax usque ad Amantiam, nunc ab hac transgressum facit ad australem eius terminum, abs quo boream versus regreditur Amantiam. Etenim primo post Apolloniam commemoravit amnem Aeantem, qui Apolloniam praeterfluit, deinde Amantiam, deinde Aeantis fontes in monte Pindo. Amantiensium regio latius patebat, usque ad Oricum, borealem Amantiae partem liberi tenebant Amantienses, australem Oricii. Iam australem hanc partem, quae erat Oricia, per octoginta stadia in litore pertinens, ante borealem, quae ipsa erat Amantia, pertinens per sexaginta stadia, Scylax recenset, quia modo dixit de fontibus Aeantis in monte Pindo. Ab Apollonia us-

que ad Amantiam trecenta et viginti stadia recensentur, Amantiae sexaginta, Oriciae octoginta, postea ab Orico ad Ceraunios montes tertia pars diei, quae centum et sexaginta stadiorum est: itaque totum litus ab ostiis Aeantis, cuius mentio addita est, quia ipsa urbs Apollonia, quam alterum posuit huius regionis terminum, distat a mari, usque ad Ceraunios montes extenditur per sexcenta et viginti stadia, id quod verissimum esse docent tabulae geographicae. Ceterum saepius in vicinia huius loci borealem terminum australi postponit Scylax, velut ubi distantia Cerauniorum montium ab Orico memoratur. Sic igitur locum per circuitionem exhibebo: *Prope Apolloniam est amnis Aeas: ab Apollonia* vel ab ostiis Aeantis usque *ad Amantiam sunt stadia sexcenta et viginti. Aeas amnis defluit* a meridie *e monte Pindo, unde* boream versus delatus *Apolloniam praeterlabitur.* Qua regione si nosmet in litore pariter ac fluvius Aeas per mediam terram progredimur, itaque in exhibendo litore *ab Orici parte* incipimus, ita ut ab hac *intus per oram sinus Ionici* pergamus, tractu *octoginta stadiorum per Oriciam, sexaginta stadiorum per Amantiam* proficiscimur. Illum vero tractum *in media terra* situm, *qui omnibus his Oriciis*, Amantiensibus, Apolloniatis, *finitimus est, incolunt Atintanes.* τῆς Ὠρικίας -- στάδια dictum est sicut §. 51: καθήκει εἰς τὸν κόλπον τοῦτον στάδια λ' (χώρας Ἐπιδαύρου).

c. ἐν τῇ Ἠπείρῳ]. Dictum ut in locis Pindari et Thucydidis, quos designavi (p. 266), qui item hoc vocabulo saepius regionem illam comprehendunt, quod tamen non prorsus abiit in nomen proprium. Simili ratione de regione quadam Asiae minoris loquitur Scylax 98, b.

27. Ὠρικοί] Ita Codd. neque hoc mutandum in Ὠρίκιοι, cum etiam Nestos pro Nestaeis dixerit Scylax (23).

31. *Κασσωπία ἐστὶν ἔθνος. οἰκοῦσι δὲ* cett.] Dictum ut de Emporitis §. 2. et Molossis §. 32.

Ἀνακτορικὸν κόλπον.] Solus est Scylax, qui eum sinum ita appellaverit, Thucydidi (I, 55) et omnibus aliis *Ἀμπρακικός* dicitur. *Palmer.*

33. *στάδια κ'*] Ita etiam Dicaearchus (Stat. Graec. v. 28). Strabo: *ἀνάπλους εἰς αὐτὴν ὀλίγων σταδίων.* (VIII, p. 500). Contra Pouquevillius (t. II, c. 35, p. 80) centum et viginta stadia numerat. *Gail.*

τεῖχος.] Quae quidem vox apud veteres geographos haberi solet pro munimento ad portus tegendos aedificato. *Gail.*

Ὁμολίου Μαγνητικῆς πόλεως]. Apud ceteros, si Plinium (IV, 9) Stephanumque (*Ὁμόλιον, πόλις Μακεδονίας καὶ Μαγνησίας*) exceperis, Homolium mons tantummodo est: Strabonem, Theocritum (VII, 103), Dicaearchum (v. 34), Pausaniam (IX, 8, 6), scholiastam Apollonii (I, 594). *Gail.* Paus. IX, 8, 6 coloniam eo ductam exhibet.

34. *Εὔριπος* urbs ignota.

Οὐριτὸν ἐν τῷ Ἰκονίῳ.] Loci ignoti. Probabilis est Gronovii emendatio *Θύριον*, sed nihil est Gailii *κόλπῳ* pro *Ἰκονίῳ*. Fortasse pars sinus Anactorici dicebatur Iconius.

ἔξω τοῦ Ἀν. κόλπου αἵδε· Ἀνακτόριον] Anactorium situm in ore sinus extra promontoria illa, quae interiorem freti partem claudunt. *Gail.* (p. 375).

b. *ἀποκτείναντες .... τούτων τὴν χώραν*] Codd. *τοῦτον*, editores omnes *τούτους* quod incommodum videtur, quia longius abest mentio Acarnanum. Propius ad codicum lectionem accedit *τούτων*, mihique antea videtur excidisse civium nomen.

c. *Φαρά.*] Puto legendum *Φεραί*. Ea autem civitas Aetolorum apud Stephanum et Eustathium in com-

mentario ad Homerum, qui ex eo hausit. Saepe enim civitates Aetolorum et Acarnanum confunduntur. *Vossius.* Nihil mutandum: literae α et ε ipsa dialecto variantur, singulari pro plurali consueto etiam in *Οἰνιάδα* utitur Scylax, alter alterum tuebitur.

d. *Ἀλυττία.*] cf. ad Hecat. fr. 80.

Κάρνος.] Steph. B. *Κάρνος νῆσος Ἀκαρνανίας.* *Vossius.*

Οἰνιάδα.] Salmasius *Οἰνειάδαι*, ut omnes. *Vossius.* *Οἰνιάδαι* Soph. Trach. 509. Thuc. II, 102. Altera singularis numeri forma est *Οἰνιάς.* Schol. Thuc. ib. Ita etiam Prasia pro Prasiis (47), Cenchrea pro Cenchreis (56).

ἡμερῶν δύο]. Noctes saepissime sub diebus comprehenduntur a Scylace, ut et hic. Nam alii duorum dierum et noctium praeternavigationem Acarnaniae taxant. Dicaearchus (v. 56, 57): *ἡμερῶν δὲ καὶ νύκτων δύο Ἐσθ' ὁ παράπλους αὐτῆς· ἔχεται δ' Αἰτωλία.* *Vossius.* Fortasse excidit *καὶ νύκτων* ex textu nostro, quod potius ego suspicor. *Gail.* Si recte censuit Vossius, idem, quod Hecataeus in exhibendo sinu Psyllico sive Syrtide maiori (fr. 303: cf. Scyl. 108), hoc loco fecit Scylax.

35. *Μύκαρνα.*] *Μακρύνεια, πόλις Αἰτωλίας· Στράβων δεκάτῃ.* Steph. Byz. — Strab. X, 692. *Gail.*

στάδια ι.] Septem tantum stadia utrumque Rhium distare dicit Thucydides (II, 86); Agathem. I, 5. p. 194 (Gronov.). *Gail.*

Αἰνιάνων·] Videtur tunc temporis Aenianum regio multum patuisse. Sunt enim Aetolis finitimi occidentem versus, Maliensibus orientem versus (63) et septentrionem versus Thessaliae (65). *Gail.*

36. *Εὔανθις.*] Hecat. fr. 82.

38. *Κορσίαι*] Plin. IV, 3, 4. Cf. Müller. Orchom. 493.

Εὔτρητος] Hom. Il. II, 502 *Εὔτρησις*. Eutresis urbs mediterranea (Steph. B.), itaque si haec eadem, quae Eutretus, ita in Scylace distinguendum est: *Σίφαι καὶ λιμὴν* (ut 92: *'Ολβία καὶ λιμὴν* et similia), *Εὔτρητος καὶ τεῖχος* cett. Cf. Steph. Byz. *Σίφαι ἐπίνειον τῆς Θεσπιακῆς*. Et Thuc. IV, 76. *Gail.*

39. *Πηγαὶ τεῖχος, Γεράνεια ὄρος.*] Codd. *Ἄρις*. Palmerius: *ἀκρὶς* vel *ἄκρα*; Vossius *Ἄρνη*, Gronovius *Αἴγειρος*. Lego *Γεράνεια ὄρος* ex Stephano: *Γεράνειά ἐστιν ὄρος μεταξὺ Μεγάρων καὶ Κορίνθου*. *Gail.*

40. *ἱερὸν Αἰγαῖον, ἰσθμός.*] Codd. *αἴγνον*. Vossius vel *ἅγιον Ἥρας*, vel *Ἥραιον*, Müllerus *ἄκραιον* (Dor. II, 432), Gronovius *Λέχαιον*. Cum vero isthmum Neptuno sacrum fuisse sciamus, probabile est, ibi situm fuisse fanum Neptuni Aegaei, numinis undarum, quam coniecturam non audaciorem puto, quoniam fere nihil in literis mutatur.

41. *κολπώδης*] De vallibus et faucibus inter montes isthmi.

43. *Αἰγαί, Αἴγιον.*] Ad Codicum lectionem propius accederet *Αἴγιον*, *Αἰγαί*, sed Aegium ab occidentali Aegarum parte situm post has memorandum erat. Her. I, 145. *Gail.*

ἐξοχὴ Ῥίου.] Codd. *ἐξωχερίου*. Non dubito quin rescribendum sit *ἐξοχὴ Ῥίου*, ut de Rhio promontorio accipiatur. Nam *ἄκραι* proprie sunt *ἐξοχαὶ ἠϊόνων*. *Vossius.* Legendum forsan *ἔξω καὶ Ῥίου*. Patrae enim et Dyma sunt extra os Delphici sinus. *Gail.* Male se habet illud *καί*. Vossii emendatio probabilis, alioqui legerem *ἔξω δὲ Ῥίου*.

44. *συνοικία πόλεων Ἠλιεῖς.*] Ita codd. Legendum omnino *Ἠλείοις*. *Vossius.* *συνοικία πόλεων* est civitas orta e coactis civitatibus compluribus. Mirum est, si

huius nomen omisisset Scylax. Itaque Ἠλιεῖς videtur accipiendum pro altero urbis Elidis vocabulo.

ἄχρι ἐπὶ τοὺς Λεπρεατῶν.] Palmerius coniecit *ἐπὶ τῆς Λεπρ.* Vossius *ἄχρι πόλεως Λ.* Gronovius *ἄχρι Ἐπίου Λ.* Verisimilius est excidisse vocem post *Λεπρεατῶν*, velut *ὅρους*.

45. *κατὰ Λεπρέων.* Circa Lepreum ad mare vergere coepit Arcadia. Praepositione *κατὰ* c. gen. significatur regio, e qua pertineat aliquid. Quod pluralis numeri forma utitur Scylax, non est mirum, cum saepius haec varientur.

46. *πρώτη Μεσσήνη καὶ λιμήν, Κυπάρισσος ἀπέχουσα ἀπὸ θαλάσσης στάδια ζ'.*] Adhuc commate post *Μεσσήνη* distincta erat oratio, ut iungerentur *λιμὴν Κυπάρισσος.* At neque bene se habet *λιμὴν Κυπ. ἀπέχουσα*, neque portus erat oppidum Cyparissus, sed revera distans a mari. Portum Messenae urbis fortasse in ostiis Nedae amnis, qui Eleos a Lepreatis separabat, condiderat Epaminondas. Consentaneum est, quod Scylax primo loco in exhibenda Messenia urbem Messenam recenset, cuius portus in boreali regionis illius fine situs erat, quae ipsa in boreali Messeniae parte iacebat, neque cum Gailio cogitandum est de altera quapiam urbe Messena prope litus, quae nunquam exstabat. Ad mare enim solummodo occidentem versus pertinebat Messenia, cum Mothone, sita in australi fine occidentalis Peloponnesi orae, Lacedaemoniorum ditioni servata esset: itaque in recensendis eius urbibus primum Messena eiusque portus, deinde Cyparissus et Ithome, ab australi alterarum illarum parte sitae, erant commemorandae. Cyparissus (Paus. IV, 36, 7) nostra aetate appellatur Arcadia.

47. *Ἀσίνη, Μοθώνη.*] Ordo turbatus: Asine ab orientali parte Mothonae sita. Postea etiam Psamathus portus post Achilleum memoratus.

ἀντίπυγος] em. Salmas. Codd. *'Αντίπυγος*. — A boreali Taenari parte duo sunt portus, in occidentali litore Psamathus, in orientali Achilleus sibi invicem oppositi, nonnisi ipsa montium serie disiuncti. Paus. III, 25, 4. *Gail.*

b/ *μετὰ δὲ ταύτην ἡ προειρημένη ἄκρα Μαλέα.*] Valde ego suspicor aliena manu ascripta margine fuisse haec: *ἡ πρ. ἄκρα Μ.*, quae Scylacis verbis commixta tantum incaute fuerunt. Nempe referendae erant voces *μετὰ δὲ ταύτην* ad promontorium Maleam, quod iam procul a mente recedebat ob memoratas obiter insulas. Ideo librarius quidam admonitionem illam dederat. Ego sic locum rescribo: *μετὰ δὲ ταύτην* (*Μαλέαν*), *Σίδη πόλις* cett. *Gail.* — Defendi possunt illa, quae in suspicionem vocavit Gailius, modo *ταύτην*, id quod ratio fert, non de Malea, sed de Cythera pariter atque *κατὰ δὲ ταύτην* in iis, quae antecedunt, dictum intelligatur. Revera enim *post* Cytheram, ab orientali parte Cytherae est Malea promontorium.

Πρασία.] Aliis *Πρασίαι*, cf. not. ad 34, d.

Μέθανα.] Transposuit situm huius urbis, si ita scripsit Scylax. Nam Methana fuit inter Troezenem et Epidaurum sacram dictam, quod fefellit Scylacem, qui supine et inadvertenter Methanam transtulit ad alterum litus, ubi fuit alia Epidaurus Limera dicta. *Palmer.* Hic ego Scylacem a cl. Palmerii vituperatione tueri tentabo. Nempe tenui emendatione facta legimus pro *Μέθανα*, *'Ανθάνα*, ex urbe Plinii Anthane (IV, 5) vel *'Ανθήνη* ex Thucydide. Quamvis Pausanias dixerit, Brasias ultimam esse Eleutherolaconum urbem (III, 24, 3), fuit tamen Cynuria quaedam, *Κυνουρία γῆ*, quae modo Laconiae pars fuit, modo Argolidis. Meminit Thucydides (V, 41) Cynuriae regiunculae, de qua frequens orta disceptatio, utpote de terminis Argivos inter et Spartanos.

Haec adiicit ille: ἔχει δὲ ἐν αὐτῇ Θυρέαν καὶ Ἀνθήνην πόλιν. νέμονται δ' αὐτὴν Λακεδαιμόνιοι. *Gail.* Cf. Paus. II, 38, 6. De regione Herod. I, 82.

48. ἡμέρας δρόμος] στάδιοι ἑπτακόσιοι Strab. X, 728. *Gail.*

πλοῦς εἰς Λιβύην.] cf. §. 24, c,

ἐπὶ Χεῤῥονήσου δὲ τὰς Ἁλιάδας τῶν Κυρηναίων.] Sexies haec Cyrenaeorum chersonesus memoratur a Scylace, ubique obscurius, tum hoc loco, tum §. 107, b: Χεῤῥόνησοι Ἀχιτίδες λιμὴν tum ib. Πέτραντος καὶ Χεῤῥονήσου, παράγει δὲ ἀπὸ Χεῤῥονήσου, πλοῦς ἀπὸ Χεῤῥονήσου, tum ib. fin. ἀπὸ Χεῤῥονησῶν τῶν Ἀντίδων. Patet igitur, tum plurali tum singulari numero hunc locum esse designatum. Mihi pro ΑΧΙΤΙΔΕΣ et ΑΝΤΙΔΕΣ, in quo utroque nullus inest sensus, facili mutatione restituendum videtur ΑΛΙΑΔΕΣ, et ipse locus dictus fuisse Χεῤῥόνησοι Ἁλιάδες vel Χεῤῥονήσου Ἁλιάδες, Chersonesi piscatoriae sive Chersonesi piscatoria. Quem locum iam cernimus directo oppositum occidentali Cretae termino. Literas χ et λ permutatas habes etiam in falsa lectione Νωχίαρος pro Ὠλίαρος (49).

c. Κρήτης θέσις ὡς ἀκρωτηρίων.] Ita facillime curam adhiberi puto lectioni codicum ἀκρωτέρω, quae sensu caret. Ea est Cretae figura, quasi e meris multis promontoriis composita sit. Multa conati sunt interpretes, quorum alii eiecerunt Κρήτης θέσις, alii habuerunt pro novo titulo; nemo vero bene expedivit voces ὡς ἀκρωτέρῳ. Salmasius et Vossius πρὸς τῷ ἀκρωτηρίῳ, Gronovius ὡς ἀκροτερῷ, *ut in partes scindam.*

Πολύῤῥηνα.] triginta stadia a mari distans (Strab. X, 734) itaque minime ipsa pro portu Phalasarnorum habenda. Höckh. Creta I, p. 738.

Δικτυνναῖον.] Ab hoc fano vocabulum promontorio inditum. Höckh. I, p. 381 sq. Ab australi et orien-

tali eius parte Pergamia, Virg. Aen. III, 133. Hyrsacina in media terra, ubi Ptolemaei Artacina (Höckh. 590).

Πᾶν.] Pannona Ptolemaeo est urbs Cretae. *Vossius.*

᾿Οσμίδαν] Osmida, Eleuthernae, Sybrita urbes in media terra. Höckh. p. 395 sqq.

Φαιστός.] Eustath. Il. V, p. 1119 (ed. Florent.): Φαιστὸς μὲν ὀξυτόνως, πόλις Κρήτης, Φαῖστος δὲ βαρυτόνως, κύριον ὄνομα, ὃν Ἰδομενεὺς ἀναιρεῖ. Idem ait Stephanus. *Gail.*

d. *Πρὸς Βορέαν -- καὶ Πᾶν.*] Huc equidem haec transposui, quia hoc loco memoranda erat Olus. Cf. Höckh. p. 415 sqq. Error inde ortus est, quod et hoc et illo loco sententia incipit a vocibus *Πρὸς Βορέαν.* — Recte Vossius: *Πᾶν* est Pannona Ptolemaei, urbs Cretae mediterranea.

Γράνος ignotum. Fortasse legendum *῎Ιτανος. Vossius.* Herod. IV, 151. Steph. Byz. Ptolem. — Gronovius memoriam Grammii (Steph. Byz.) urbis reperit in Grano.

50. *πόλις ῎Αργος — καὶ ἐν αὐτῇ Ναυπλία πόλις.*] *πόλις* dictum de civitate eiusque ditione. Propterea insulae saepe *πόλεις* appellatae. *Gail.*

Τίρυνς.] Em. Gail. Codd. *Τίρυνθα.* Sane non ferendus est accusativus prope nominativos *Κλεῶναι, Μυκῆναι*, tamen notandum, quod etiam §. 2 accusativum *πόλιν Ἑλληνίδα* sine ulla ratione positum codices exhibent.

51. *᾿Επίδαυρος δὲ χώρα.*] Ditionis Epidauri spatium triginta stadiorum pertinet ad sinum Argolicum, ipsa Epidaurus sita in litore Saronici. *Gail.*

῾Αλία.] *῾Αλιαί* pluraliter effert Thucydides (I, 105) et ὀξυτόνως scribendum esse docet scholiastes. *Vossius.*

52. *᾿Αθηναίας χώρας.*] *᾿Αθηναίαν χώραν* raro aut potius nunquam dicunt scriptores, sed *᾿Αττικὴν χώραν:*

ut neque Ἀθηναίας γυναῖκας sed Ἀττικάς. *Vossius.* Quod sane verum, at facilius dicebatur Ἀθηναία χώρα, quam Ἀθηναία γυνή, quoniam illa quidem cum Minerva non poterat confundi.

εὐθύτατος.] Ex ore huius sinus recta linea in imam partem produci potest. *Gail.* Minime hoc inest in verbis, quae nihil significant, nisi ab altero oris termino ad alterum rectam describi posse lineam, idque melius, quam in reliquis eius partibus, ibi enim ubique fere inflectuntur et curvatur litora, in ore vero ex utraque parte directe procedunt promontoria.

53. *ΤΡΟΙΖΗΝ.*] Minime cum Gailio scribendum esse Τροιζηνία, patet e sequentibus titulis Ἐπίδαυρος (55) Μέγαρα (57).

παράπλους δ' ἐστὶν αὐτῆς στάδια λ'.] Bis recensetur, quantum Troezenia fuerit extensa, per triginta et per trecenta stadia. Triginta illa pertinent a promontorio Scyllaeo, quod initium facit Troezeniae (52) usque ad eum terminum, qui e regione Epidauri situs est, trecenta inde ab illo usque ad fines Epidauriae. Propterea dictum est: μετὰ δὲ ταῦτα (στάδια) νῆσός ἐστι Καλαυρία.

Κεγχρείας.] Κεγχρεῖαι Thuc. VIII, 28, reliqui Κεγχρεαί. *Gail.* De singulari cf. not. §. 34, d.

58. λιμένας ἔχει τρεῖς.] Paus. I, 1, 2. *Vossius.*

59. Κέως.] Annon credere licet ipsam Poeeessam olim quoque dietam nomine ipsius insulae et idcireo eam non nominari a Scylace? *Gronov.*

b. πρὸς νότον Ἴος cett.] Sitae sunt hae tres insulae inter Cyclades eas, quas modo, et eas, quas antea (49) recensuit, ab australi illarum, a boreali harum parte.

60. μέχρι τῶν Λόκρων ὁρίων.] Vulgo μέχρι τῶν Λευκῶν ὁρίων. *A Delio usque ad montes Albos.* Sic vertit interpres (Vossius). Properanter et festinante

calamo procul dubio haec scripsit: ὅρια enim non sunt ὄρη, montes, sed termini, limites: aliter procul dubio interpretatus esset, ut debebat, si non alio properasset, et correxisset, ut corrigere necesse est: μέχρι τῶν Λόκρων ὁρίων, usque ad Locrorum terminos, nulli enim ibi sunt montes albi. Sic etiam infra Scylax in Cilicia (102): παράπλους Κιλικίας ἀπὸ τῶν Παμφυλίων ὁρίων. *Palmer.*

62. ἐν μεσογαίᾳ. Al. μεσογείᾳ. *Hoeschel.*

Μάλιεῖς — Μαλιεῦσι — Μαλιέων.] Scylax a Phocensibus ad enarrandum sinum Meliensem pergit, ideoque populum, a quo nomen is acceperit, commemorat. Tum meminit Doriensium, quorum ditio angusto tractu usque ad hunc sinum excurrit (Herod. VIII, 31) quibus descriptis de ipsis dicit Meliensibus. Horum ditionis enim sunt loca Thermopylae, Trachis, Oeta, Heraclea et amnis Sperchius. Quae sequuntur, Lamiam, et Echinum nemo unquam Meliensibus attribuit, neque possunt hi esse eiusdem regionis, cuius Trachis et Sperchius, quoniam inter utrasque novus titulus interiectus est. Ac si quis Doriensibus illas attributurus erit, gravius errabit, cum Doriensium ditionem ad mare pertinentem etiam Herodotus memoret, cui tamen Trachis et Sperchius et reliqua sunt in terra Meliensium (VII, 201), Itaque distingendum est inter Melienses et Malienses, quos quidem revera diversos esse patet e Diodori loco: Μηλιεῖς δὲ πλὴν Μαλέων (XVIII, 11), ubi legendum videtur Μαλιέων pariter ac Diod. XV, 85, cum aliis locis etiam Μηλιεῖς commemorentur (XI, 3, XII, 77). Sunt itaque Malienses pars Meliensium, incolae regionis sitae circa Echinum et Lamiam, quae videtur fuisse principalis eorum urbs. Lamia a plerisque Achaiae Phthiotidi adnumeratur: atqui eius ditionem fuisse non plane exiguam, sed pertinuisse usque ad sinum, id quod hoc loco

tradit Scylax, eo probatur, quod Lamiacum saepius eum sinum appellet Pausanias (I, 4, 3; VII, 15, 2; X, 1, 2), cum tamen in media terra sita sit Lamia quinquaginta ferme stadia ab eo distans. Sed quod ditio Lamiensium sinum tangebat, vindicabant hi Meliaco cognomen tum Maliaci tum Lamiaci, quod simillime sonabat, proprie fortasse ita appellantes partem eius borealem, in cuius ora Phalara et Echinus iacebant: ex qua re id interpretor, quod extra sinum Maliensium effluere Sperchium dicit Scylax, quem in sinum Meliacum effluere nemo poterit negare. In earum urbium numero quas Maliensibus subditas dicit Scylax, equidem coniicio fuisse Phalaram, quam Lamiae adiungit Stephanus saepiusque Livius (XXVII, 30; XXXV, 43; XXXVI, 29.) Itaque nisi formam *Μαλιεῖς* tueretur locus Diodori, restituerem *Λαμιεῖς* cum Vossio et Müllero Dor. I, 43.

66 *Σπάλαιθρα.*] Malim *Σπάλαθρα.* *Vossius.* Lectionem *Σπάλαιθρα* tuetur forma *Σπαλέθρη* quae apud Stephanum est, cum *αι* et *ε* saepe sint variatae.

67. *πόλις Αἰγαὶ καὶ βασίλειον ἐν αὐτῇ.*] Plin. IV. 10: Aege, in quo mos sepelire reges. Cf. Liv. XLIV, 46, ubi Aeginium. Pella, quam restituturus erat Salmasius, erat urbs maritima, neque ad eam navigandum per amnem Lydiam. *Gail.*

c. *Κλεῶναι.*] Alias *Κλεωναί.* *Vossius.*

Ἀκροθῶται Ἕλληνες.] Hoc est *ἐθνικὸν* ab *Ἀκρόθωοι*: quae est urbs in cacumine montis Atho, ut inquit Mela (II, 11, 10), quamvis aliter eam vocet: ut et alii omnes, qui in nomine huius discrepant. Forte tamen scripsit Scylax: *Ἀκρόθωοι Ἑλληνίς.* *Vossius.* *Ἀκρόθωοι* Thuc. IV, 109. Her. VII, 22.

Ἄλαπτα.] Forte legendum *Ἀκτὰ*, et ex ordine locorum id sequitur. Sed *ἄκτα* videtur fuisse non urbs quaedam, sed spatium et longitudo quaedam litoris.

Plutarchus (Quaest. Graec. p. 298. A. ed. Francof.) id litus vocat *Ἀραίνου ἀκτήν*. An Scylax scripserit *Ἀραίου ἀκτὰ*, iudicet lector. *Palmerius*. Emenda quid volueris, at certe hic locus poscit *Στάγειρα* aut *Στάγειρος*, ex Herodoto (VII, 115) et Thucydide (IV, 88). *Gail*. Quae omnia nihil expediunt. Statuenda videtur urbs Alapta.

68. *Φάγρη*.] Puto legendum *Φάγρης*, ut Thucydides (II, 99) et Stephanus. *Vossius*.

Καὶ ἄλλα ἐμπόρια, Σαγίον]. Lege meo periculo *Σαίων*. Nam litus illud tenebant *Σαῖοι*, gens Thracica satis ex versu Archilochi nota: *Ἀσπίδι μὲν Σαίων τις ἀγάλλεται*. *Palmer*. De Saeis cf. Hecat. fr. 133. Dubium est num hucusque eorum fines pertinuerint.

Θάσος νῆσος καὶ πόλεις.] Codd. *Ἔλσος*, quod rectissime mutavit Vossius. Quod vero pro *πόλεις* scripsit *πόλις*, incertum. Satis ampla erat Thasus, quae duas caperet urbes.

b. *Καλλίστρατος*.] cf. Isocr. de Pac. 9. Nieb. Scr. min. I, p. 120 sqq.

Νέστος.] Nestus amnis duas praeterlabitur urbes, Neapolin, quae est ad occidentem, et Datum, quae ad orientem. *Gail*.

Κούδητος.] Cosatus amnis Thraciae memoratur Aelian. V. H. IV, 17; II, 26. Porphyr. Vit. Pythag. n. 27, p. 33, ed. Lugd. 1707. Cossinites Ael. V. H. XV, 25. Recte igitur Vossius videtur correxisse *Κούσητος*. *Gail*.

Δέρις.] Steph. B. *Δεραῖοι, Θρᾴκιον ἔθνος· Ἡρόδοτος Δερσαίους αὐτούς φησι*. *Vossius*. Cf. Hecat. fr. 130.

c. *Σηστὸς ἐπὶ τοῦ στόματος τῆς Προποντίδος*.] Agathemer. I, 3: *Ἑλλήσποντος λήγων εἰς Ἄβυδον καὶ Σηστόν· εἶτα ἡ Προποντίς*.

Κρῆσσα.] Fortasse Cissa Plinii (IV, 9). Lege *Αἰγὸς ποταμός*. *Vossius*. Servanda vulgata: ad orientem septentrionemque *Αἰγὸς ποταμοῦ*. *Gail*.

d. *Ἡράκλεια.*] Manifesta huius vocis interpolatio, tum quod antiquum huius urbis nomen sit *Πέρινθος*, tum quod in urbium serie sedem male teneat *Ἡράκλεια*. *Gail*.

Γάνος, *Γανίαι.*] *Γάνος καὶ Γανιάδα χωρία ἐστὶ Θρᾳκικά*. Suid. *Vossius*.

μέχρι ἂν ἔλθῃ] *ἡ ναῦς*.

ἀνάπλους.] Quo ex nomine coniicere licet partem occidentalis orae quandam sic vocatam fuisse quia naves adversus fluentum inde traherentur. Cf. Schol. Apollon. II, 168. *Gail*. De alia re, eaque ficta, loquitur scholiasta, id quod ipse intellexit Gailius. Si verum esset, quod ille existimavit, regio dicenda fuisset *ἄνολκος*. Vocatur *ἀνάπλους*, quia ibi in amplum mare e freto intrant naves, cum *ἀνάπλους* proprie navigationem e portu in altum mare significet.

ἱερόν.] Fanum Iovis Urii, situm in ipso ore Ponti in litore Asiae, distans a Byzantio stadia centum et viginti. Arrian. Peripl. Pont. Euxin. p. 12 et 25. Itaque hoc loco ante vocem *ἀνάπλους* commemorandum erat Byzantium, quod cur omissum sit, nescimus: fortasse culpa librarii.

e. *ἀπὸ Θρᾴκης καὶ ποταμοῦ Στρυμῶνος.*] *ἀπὸ τοῦ μέρους τῆς Θρᾴκης, ὅπου Στρυμών ἐστι*. *Gail*. Cf. 99. d.

69. *Νικώνιον - Ὀφιοῦσα*. Niconium ad dextram, Ophiusa ad laevam Tyrae ripam sita. Strab. VII, 469,

b. *ἐπὶ δὲ τῇ Σκυθικῇ - - - ἀκρωτήριόν ἐστι.*] Sana haec omnia, sed inficete dicta. Iuxta Scythiam Tauri habitant in promontorio, quod est pars Scythicae terrae continentis, excurrit vero in mare. — *εἰς θάλ. δὲ τὸ*

b. *ἱερόν.*] Cf. 68, d.

92. *Κίος ποταμός.*] Meminit huius loci Scylacis Schol. Apoll. Rhod. I, 1177. Ceterum recensuit in hac paragrapho Scylax etiam paludem Ascaniam, id quod patet e loco Strabonis (XII, 849): *ὅτι δ' ἦν κατοικία Μυσῶν ἡ Βιθυνία, πρῶτον μαρτυρήσει Σκύλαξ ὁ Καρυανδεὺς φήσας περιοικεῖν τὴν Ἀσκανίαν λίμνην Φρύγας καὶ Μυσούς.*

93. *Ἄβυδος.*] *Σκύλαξ δὲ ὁ Καρυανδεὺς ἀπὸ Ἀβύδου ἄρχεται (τὴν Τρωάδα)* Strab. XIII, 843. Quod recte explicat Gailius: *relicta Abydo, post Abydum.*

94. *ἐν αὐτῇ.*] *Τρωάδι.*

Ἀχιλλεῖον.] Ad Sigeum Strabo (XIII, 891 et 896) ponit Achillis fanum et monumentum.

95. *Αἰολίδες.*] Rescribendum *Ἑλληνίδες.* Quid enim notandum, quod fuerint Aeolicae urbes in Aeolide? *Gail.* Respectu dialecti dictum est.

μέχρι Ἀντάνδρου . . .] Puto hic deesse numerum stadiorum dierumve. *Vossius.* Desideratur sane hic numerus. Alioqui explicari possent verba: Totum litus a Mysiae finibus usque ad Antandrum proprie est Phrygiae, ut Troas et Aeolis dicantur Phrygiae partes.

97. *τῆς Ἰλιακῆς τὸ κάτω*] ab inferiore Troadis parte. Postea eiecti in superiorem regionem *εἰς τὴν ἤπειρον ἄνω*) quae supra Troadem et Phrygiam sita, quam descripsit §. 92. Superior appellatur illa pars, quia ibi usque ad litus pertinent montes, haec vero inferior, quia est planities ad amnem Caicum.

δι' αὐτήν.] Nescio an hoc explicari possit per: in eodem loco, in eodem tractu, *διὰ τὴν αὐτήν.*

b. *ἐν αὐτῇ καὶ ἐν τῇ Λυδίᾳ.*] in ea regione, quae proprie Mysia, et in ea, quae proprie Lydia vocata est. Scylacis tempore per utramque pertinebat nomen Lydiae.

Ἄστυρα.] Strab. XIII, 912: *Μυσίας δὲ Ἄστυρα τὴν πλησίον κώμην φασίν· ἦν δὲ πολίχνη ποτὲ, ἐν ᾗ τὸ τῆς Ἀστυρήνης Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν ἄλσει προστατούμενον μεθ' ἁγιστείας ὑπ' Ἀντανδρίων, ᾗ μᾶλλον γειτνιᾷ.* *Vossius.*

Ἀδραμύττιον.] Lectionem *Ἀδρ.* cum simplici τ servavi. Numi apud Eckhelium (VII, 42) omnes referunt *ΑΔΡΑΜΥΤΗΝΩΝ.*

c. *Λευκαί - Σμύρνα - Φώκαια.*] A borea meridiem versus pergenti Phocaea ante Leucas et Smyrnam memoranda fuisset: Strab. XIV, 957. Plin. V, 29, fin. Itaque et quod anno trecentesimo quinquagesimo secundo ante Christum condita est urbs Leucae, huius mentionem serius insertam putat Gailius. Manet vero, etiamsi eieceris Leucas, perturbatio ordinis, quo Smyrna et Phocaea recensentur, itaque haec minime probant interpolationem.

Λευκαὶ καὶ λιμένες.] Pro *λιμένες* Gronovius coniecit *Τῆμνος* e Strab. XIII, 923. Herod. I, 149.

e. *Ἐπὶ τῆς Μυκάλης.*] Gailius coniecit *ἀπὸ*, quia in monte sita esse non posset Priene. Sed *ἐπὶ* est *ad.*

98. *Καὶ ἄλλος λιμὴν περὶ τὴν νῆσον καὶ ποταμός.*] Strabo (XIV, p. 970) Arconesum insulam prope Halicarnassum sitam recenset. Amnis est fons Salmacis (Strab. ib.) *Gail.*

b. *Κεραμιακός.*] Xenophonti *Κεράμειος* (Hell. II, 1, 10). Vossii emendatione *Κεραμικός* videtur non opus esse. Ceramus sita prope Halicarnassum (Plin. V, 29, 29) itaque immerito reprehenditur Scylax a Vossio, quod Co insulam prope Ceramicum sinum sitam esse tradiderit.

99. *ἀρχαία πόλις.*] *vetusta civitas*, Hesychius: *πόλιν τὴν Σικελίαν ἀντὶ τοῦ νῆσον* de loco Aristophanis. Eur. Ixion. *Εὔβοια πόλις.* Eur. Temen. *Πελοπόννησος πόλις.* *Vossius.* Himer. Eclog. XVII. init.

Κύπρος πόλις μεγάλη. Gail. At Scylacis aetate exstabat urbs, quae Rhodi nomen gerebat, neque tamen vetusta erat, sed recens condita (Ol. 93. 1). Itaque haec mendosa esse apparet. Fortasse legendum *οὐ πάνυ ἀρχαία πόλις.* Inter utrumque tempus intercedebant anni fere quinquaginta. Et tamen *τρίπολις* dici poterat insula Rhodus, quia e tribus oppidis convocata erat civitas.

100. *Πάταρα.*] *πόλις ἐοικυῖα ἐπινείῳ Ξανθίων.* Appian. Bell. civ. IV, 82. *Gronov.*

b. *Γαγαία.*] *Γάγαι πόλις Λυκίας.* St. B.

d. *ἀπὸ Λυκίας.*] Dictum fortasse pro: ab initio Lyciae, ut *ἀφ' ἑσπέρας*, ab ineunte vespere. Cf. 68 et 112, a. *ἀπὸ τῆς Ἄνδρου.* Sunt qui deleant *ἀπὸ*, sunt qui legant *Λυκίας ἀπὸ Καρίας.*

102. *καὶ νῆσον ἔχει.*] Nagidusam: cf. Hecat. fr. 252. Quod certissimam reddit emendationem Vossii.

b. *Σητόν.*] Gronovius *Σύκην* e Stephano, quod quidem magis orientem versus situm fuisse contendit Gailius. Sed saepius iustum Scylax deserit ordinem.

Ποσείδειον.] Habet Stadiasmus (§. 175) *Ποσείδιον* a Celenderi distantem 107 stadiis. *Gail.*

Μυοῦς.] Myanda Plinii (V, 27, 22).

Ὅλμοι.] Urbs mediterranea, distans stadia quadraginta a promontorio Mylis. Stadiasm. §. 164 sq. *Gail.*

c. Thapsacum amnem eundem putat Gailius, quem Eleutherum, quem Strabo borealem Phoeniciae terminum dicit (XVI, 1093) pariter ac Ptolemaeus (V, 15. Cf. Plin. V, 20).

ἡμερῶν ε'.] Herod. I, 72. Septem dierum iter dicit Scymnus (v. 188—194).

103. *Ληπηθίς.*) Steph. B. *Λάπηθος.* η Ionice dictum: de reliquis Stephano non maior est auctoritas, quam Scylacis codici.

104. b. ἴδιον ἔχον.] Codd. ἔχων. ἔχον videtur dictum sensu intransitivo.

Τῆρος.] Gronovius coniecit Τριήρης, quod oppidum cum Θεοῦ προςώπῳ et Beryto memorant Polybius (V, 68) et Strabo (XVI, 1095).

c. Σάραπτα.] Codd. Σάρα. Facile exciderunt literae πτα ante sequens εἶτα. Sara est eadem quae Palaetyrus, quam postea demum recenset Scylax.

βασίλεια Τυρίου.] Intelligendum est regis.

d. [Ἐκδιππῶν.] Ecdipporum mentionem firmat geographus Ravennas. *Gronov.*

e. Νομάδες cett.] Descriptio Arabiae.

105. τὸ μὲν εἰς τὸ Μενδήσιον cett.] Aut graviter fallor, aut dignoscenda est in hoc foedatissimo textu eadem fere sententia, quam diserte exprimit Herodotus (II, 17) his verbis: τὸ καλέεται Σεβεννυτικὸν στόμα. ἔστι δὲ καὶ ἕτερα διφάσια στόματα ἀπὸ τοῦ Σεβεννυτικοῦ ἀποσχισθέντα, φέροντα εἰς θάλασσαν. τοῖσι οὐνόματα κέεται τάδε· τῷ μὲν Σαϊτικὸν αὐτέων, τῷ δὲ Μενδήσιον. *Gail.*

b. πελέκει.] Pulchre Aegyptum bipenni sive securi utrinque acumen habenti comparat. Unam securis alam constituit Aegyptus inferior sive Delta utrumque. Ad Memphin igitur, ubi Aegyptus in arctissimum contrahitur, est foramen sive ὀπή, cui scapus ligneus accommodatur. Superior Aegypti portio alteram securis alam exprimit. *Vossius.*

τὸ πλεῖστον ἢ τὸ παρὰ θάλασσαν.] ἢ post superlativum, ut Herod. II, 35: Αἴγυπτος πλεῖστα θωυμάσια ἔχει ἢ ἄλλη χώρη. Philem. inc. fr. 109: θανεῖν ἄριστόν ἐστιν ἢ ζῆν ἀθλίως.

LIBYA.

106. ἀνάπλους.] Hanc vocem tum Scylax, tum alii geographi usurpant tantummodo de navigatione per flumen sursum facta, ut ad urbem quandam perveniatur. In hoc igitur loco minime ἀνάπλους intelligi potest de itinere facto ab insula Pharo ad litus, sed a litore ipso ad Mariam paludem. Rescribit τὸ βραχύς ad longitudinem ostii, qua eundum erat a mari in paludem. *Gail.* ἐκ Φάρου, si a Pharo veneris.

b. εἰς τὸν μυχόν cett.] Haec breviter dicta. Si usque in extremum recessum intraveris et inde regressus eris, duplicis longitudinis iter confeceris, quam si in ore praetervectus eris.

107. c. Πλατειαί.] Apud Stephanum est Πλαταιαί et Πλατεῖα, apud Herodotum (IV, 151) Πλατέα. *Gail.*

d. πάνορμοι.] Hom. Od. XIII. 195. ubi schol.: σκέπην ἔχοντες παντὸς ἀνέμου.

f. ἀμυγδαλαί, καρύαι.] Utraque vox Atticae dialecto propria. Athen. II, p. 52 et 53. *Gail.*

g. Ἐκκειός.] Nusquam reperitur fluvius Ecceus, et hic aperte res agitur de fluvio Ladone aut Lathone (Strab. XVII. 1193). Forsan legendum ἐκχεῖται. *Gail.*

108. c. Ὑπ' αὐτῶν.] *Prope ea*, campum et urbem, quae antea memoravit.

109. a. τῆς Καρχηδονίων χώρας.] Haec ab aliena manu inserta contendit Gailius, quia non distincturus fuerit Scylax Carthaginiensium regionem a reliqua. Sed revera eam distinxit Scylax: Cf. 110. 9. fin.

b. Ἀπὸ δὲ Ἀβροτόνου (πλοῦς) ἡμέρας μιᾶς· κατὰ δὲ ταῦτά ἐστι νῆσος cett.]. Dictum ut §. 24, c: ἀπὸ δὲ τοῦ Ἀρίωνος ποταμοῦ πλοῦς ἡμέρας ἥμισυ·

καὶ Κάδμου καὶ Ἁρμονίας οἱ λίθοι εἰσὶν ἐνταῦθα. Atque ut infra 109. c: *ἀπὸ δὲ Ἐπιχίδος πλοῦς ἡμέρας· καὶ νῆσος ἔπεστιν ἐπ' αὐτῇ ἐρήμη*, ubi voce *αὐτῇ* designatur *ἐκείνη ἡ χώρα τῆς ἠπείρου.*

d. *στάδια ,β.*] bis mille stadia. Scribit Agathemerus (I, 3, init. II, 14. p. 59). hunc ambitum mille et sexcenta stadia continere. *Gail.*

f. *ἀνάπωτις.*] Pind. Ol. IX, 52 pro vulgari *ἄμπωτις.*

g. *ὑπέκεινα.*] Vossius *ἐπέκεινα.*

ἄπαστοι.] Fortasse *ἀγαστοί*, sed libentius rescriberem *πλαστοί.* Libyes ad occidentalem Tritonis ripam habitantes testatur Herodotus corpus sibi minio tingere IV, 191. *Gail.* Non est haec significatio vocabulo *πλαστός.* Legendum videtur *ἄριστοι.*

h. *Νεάπολις.*] Thuc. VII, 50, quem locum errore ad alteram Neapolin antea memoratam (109. a) retulit Vossius.

i. *ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ.*] Quod flumen Ptolemaeo (IV, 3) Catada dictum prope Tuneta in mare delabitur.

110. c. *ἄκραν . . .* Omissa hic stadia aut tempus *παράπλου.* *Vossius.*

λίμνη.] Lacus vastus, in quo insulae plures. Steph. Byz.: *Πιθήκων κόλπος, λιμὴν ἐν τῇ Λιβύῃ περὶ Καρχηδόνα.* In eo insulae Pithecusae Scylacis. *Gail.*

d. *Καύκαχις.*] Restituo *Κανουκκίς.* *Vossius.*

Ἰουλίου ἄκρα.] Latini Iuliam Caesaream vocant Augusto Caesare hoc nomen dante. Non potuit itaque sic scribere Scylax. Scripsit ille. *Ἰὼλ ἄκρα*, quae postea ita, ut diximus, vocitata est. *Vossius.* Vocabulum *Ἰὼλ* Graecis facillime transiit in *Ἰούλιον.*

111. *καὶ ἐνταῦθα Ἑρμαία ἄκρα.*] Cf. 109. h.

d. *Ἄνιδος.*] Plinio (I, 1) Anatis. *Gail.*

e. *ἀπὸ Θυμιατηριας.*] Intelligendum est *ὁ πλοῦς.*

Ποσειδῶνος.] Ara condita ab Hannone, quem vide p. 2.

f. *Ξιῶν.*] Nullus, quoad sciam, meminit huius fluvii. Lixum hoc loco describit Hanno, alium ab eo, quem iam supra retulit Scylax. *Vossius.* Lixum aut legere aut saltem intelligere res geographica postulat. *Gail.* Quem Hecataeus appellabat Lizam (fr. 328.)

g. *φύκος.*] Theophr. Hist. plant. IV, 7.

i. *πωλοῦσι δὲ πρὸς δέρματα.*] Bene se exprimit Scylax notans Aethiopes hos mutassè merces Phoenicias pellibus huiusmodi, non pecunia, et ad pelles contraxisse. *Gronov.* Eo rectius Gronovius haec intelligit de mercaturis ab Aethiopibus ipsis venditis, quod infra adiiciat noster: *οἱ δὲ Φοίνικες ἔμποροι εἰςάγουσιν αὐτοῖς μύρον* (III. l.). Scilicet praecedentibus noster opponit ea quae Phoenices Aethiopibus venditabant. *Gail.*

μετ' ὀδόντων.] Praeferenda est Vossii emendatio Reinesianae, cum voces *τῶν ἡμερῶν βοσκημάτων* pendeant a *δέρματα*.

κοσμόστικτα.] vestes pro ornatu variegatae.

l. *μύρον λίθον Αἰγυπτίαν.*] Theophr. *περὶ ὀσμῶν* §. 69, 70: *τὸ δὲ τῆς βαλάνου τῆς Αἰγυπτίας μύρον αὐτὸ μὲν οὐκ ἄγαν ἀναπνεῖ· μιγνύμενον δὲ ποιεῖ τἄλλα βελτίω, μάλιστα δὲ τὴν Ἶριν. Ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάττῃ διακοπτομένων τῶν λίθων ἐμπεφυκότα φαίνεται ἰχθύδια καὶ μαρίδες καὶ ἄλλ' ἄττα ζῶα.* Sic distinguit Theophrastus unguentum Aegyptiacum et lapides quosdam inter unguenta numerata, et videtur noster utrumque pariter exprimere et distinguere. *Gail.*

ἄπρους ἐξαράκτους.] Fortasse *κάπρους ἐξάρκτους*. *ἐξάργματα, ἀκρωτηριάσματα.* Schol. Apollon. IV, 477. *Gail.*

112. *θαλάττης τῆς Εὐρώπης.*] Censeo supplendum esse *ἐκ* vel *ἀπό*. *Gail.* Maris Aegaei insulas Europae

diserte adnumeravit Scylax, itaque mare ipsum est Europae.

a. ἀπὸ τῆς Ἄνδρου.] Inde ab initio Andri. Cf. 100. d. Corrigit Palmerius ἀπ' αὐτῆς Ἄνδρου, quod non omnino necessarium videtur.

τὸ κατὰ Ῥηναίας.] Promontorium ipsius Teni situm e regione Rhenaeae. *Gail.* Quod ut designet, κατὰ genitivum requirit.

b. Μελαντίους.] Strab. XIV, 943.

c. πλοῦς . . .] Et huius diaphragmatis finis et alterius initium desideratur. *Vossius.*

d. προαριστίδιος . . .] Deest spatium inter Aegiliam et Cretam interiectum. Cf. 48, a.

e. στάδια ,δυό.] Sic legendum. Ante Cytheram memoratum erat promontorium Onugnathos, quod revera triginta stadia distat ab insula. Cytherae longitudo a promontorio boreali ad orientale est centum stadiorum. Inde Aegiliam navigatur per ducenta et quinquaginta stadia. Aegilia media sita est inter Cytheram et Cretam: itaque deest idem numerus stadiorum inter Aegiliam et Cretam. A Creta ad Carpathum multo longior est navigatio, quam centum stadiorum, restituendum videtur quadringenta et a Carpatho in Rhodum centum et quadraginta.

ADDENDA.


Ad p. 22. Catanae mentio non satis certum antiquitatis argumentum, quia post mortem Hieronis hoc nomen recuperavit urbs Aetna: certiora tum mentio urbium Oenotrorum (fr. 30 sqq. cf. p. 264), tum vetustum Epileucadiorum vocabulum (fr. 79. cf. p. 267). — || — Ad p. 48. fr. 24. Legendum videtur *Λιβυστικῆς* et reiiciendum hoc fragmentum ad descriptionem Libyae inter fr. 301 et 302. Cf. Scyl. 107, g. — || — Ad p. 79. fr. 125. Pro *Doriscus* cett. scribas: Ab occidentali Strymonis parte erat *αἰγιαλὸς*, ubi urbs Graeca Argilus (Her. VII, 115). Eandem regionem *Ἀκτὴν* appellare videtur Thucydides (IV, 109). — || — P. 140. fr. 333 l. 2. Legendum videtur *Τύρους*. Codd. *Τύρου*. — || — Ad p. 154. fr. 364 adde: cf. Herod. I, 173. — || — Ad p. 200 post l. 15: *ἱερὸν* codd. C. O. Müller *Κιέριον* (de tab. Graec. septentr. p. 37 not.). — || — Ad p. 269 post l. 16: 63. Heraclea condita Ol. 88. 3; 426 a. Chr. (Thuc. III, 92).

CORRIGENDA.

P. 21. l. 14. *Matienorum.* — P. 33. l. penult. *Byzanta.* — P. 54. l. 7. p. 418. — P. 67. l. 3. *mari.* — Ib. fr. 81. l. 4. post *Μολύκρειον* comma ponendum. — P. 77. fr. 121. l. 4. *Sermyliam.* — P. 78. l. 5. *Stephano.* — P. 86. fr. 153. l. 131. *palus.* — P. 104. l. 4. *Heracleotam.* — P. 105. fr. 211. l. 1. *οὗ.* — P. 111. fr. 235. l. ult. fr. 250. — P. 120. l. 15. *θαυμασιωτέρη.* — P. 121. l. penult. *του.* — P. 128. l. 18. *repetitae.* — P. 130. l. 11. *antiquissima.* — P. 148. l. penult. *tribu.* — P. 157. fr. 374. l. 5. *antiquiores.* — P. 164 et 165 numeros 2, 3, 4 suis locis in initio §§. restituas. — P 169. l. 11. *Καλυψώ.* — ~~P. 172.~~ §. 21. l. 3. *θάλατταν· Λιὰς, Ἴδασσα.* — Ib. l. penult. *sunt: Lias, Idassa.* — P. 191. §. 49. l. 2. *Λακεδαιμονίαν.* — P. 206. l. 2. *Μάδυτος.* — Ib. l. 7. *Ἀγορά.* — P. 217. l. 10. ante *Πάριον* insere *Πρίαπος.* — P. 245, 111. l. 6. *πολλαί.* — P. 251. l. 1. *στάδια ζ'.* — P. 252. l. 8. *,βφ'.* — Passim accentus et spiritus modo designatos postea eiecit, modo turbatos reliquit insuperabilis typothetae incuria.

INDEX.

Bonnae, Typis Caroli Georgii.




Tabula orbis Terrarum
ex opinione Hecataei
Itinera diurna 500 stadiorum
1 2 3 4
Oceanus

